

(5)

D E
DR TH O M A E
A Q V I N A T I S S C R I P T I S ,
A D I O A N N E M D E L P H I N V M
A N D R E A E F I L I V M P A T R I T I V M
V E N E T V M A M P L I S S : T O R C E L L I
E P I S C O P V M ,

L I B R I D V O .

*Auctore Reuer. P.D. Hieronymo Vielmio
Episcopo Argolicense.*

*Addita est, eiusdem quoque Oratio Apologetica, qua obtrecta-
toribus eius, Theologia, quam Scholasticam,
uocant egregie occurritur.*

P A T A V I I ,

Ex Officina Laurentii Pasquatii .

M D L X I I I .

DOMINI
HONOR
MAGISTER
VOLUNTATIS SCRIPTOR
IAMIN DE
IUNNAM DE
ANDREAS FILIA MATER CEL
AENITIA MARIA TORCEFFI
EPISTOIA

LIBRI DAO.

Figuræ Reror. P.D. Historiarum Viespolio
Epigrafo Viespolio.

Ex officiis Fratrum Padelotti
notarii electi secundum.

PATRI
FAT
MDI XIII

IOANNES FASEOLVS
LECTORIBVS.



IVVM Thomam Aquinatē summa & quidem semper sum admiratio nē prosecutus. cuius scripta cum olim Philosophiae operam darem, uel ex latini sola, uel præcipue mihi euoluenda duxi. Horū autem cum partim quidem laudationem, partim etiā defensionem mihi superioribus diebus ostendisset, uir Optimus, atque eruditissimus Hieronymus Vi elius Argolicensis Episcopus, primo quidem libentissime legi, postea uero & hominem mihi amicissimum rogauit, ut eorum mihi copiam, atque potestatem faceret, qui, quae eius est humanitas, atque erga me benevolentia, prompto, alacriq; animo id cōcessit. Reigitur accuratius inspecta, atque cognita, non tam laudari Diuum Thomam his scriptionibus, & aduersus non nullos eius uituperatores defendi; quam eius libros diuidi, atque ijs, quod utilissimum est, ab hoc doctiss. Viro, uidi ordinem dari cum itaque etiam, atque etiam hortatus sum, ut suos

a ij

hos labores in publicum exire pateretur, quos & stu-
diosis plurimum emolumenti, & ei plurimum pro-
certo haberem allatuos ornamenti. ac primo qui-
dem abnuebat uir omnium minime ambitiosus, qui
quæ alii prebensando querunt potius reiicere, quam
ultrò, ut quicquam adipiscatur, solitus sit elaborare.
neque cui in cum in Diui Dominici familia numera-
retur, atque in eo coetu uiueret, ubi omnes penè cu-
rationum atque honorum consecutus est gradus: lu-
bens, ac uolens eos est unquam adeptus. sed quibus
eorum dispensandorum potestas data erat, iij uel in-
uito summa queque obtrudebant. Summo etiam to-
tius Ampliss. Senatus Veneti consensu in nostro
hoc Gymnasio, & primæ olim Philosophiæ, & Sa-
cræ postea Theologiæ exponendæ prouincia ei tra-
dita fuit, ad quod sanè munus, eum potius euocatum
semper, atque accersitum, quam sua unquam sponte
accessisse omnes nouimus. cui porrò dubium, quin cūs
primum Pius IV. omnium hominum & maximus
& sapientiss. de reparanda Christi Dei Ecclesia,
hæresibus tollendis, erratisq; ijs, quæ Superioribus
Pontificib. connuentib. in eam defluxerant, amouen-
dis cogitauit, uel primis sui Pontificatus mensibus
hunc ad se duxerit aduocandum? uidi, quæ ad eum
Summi Pontificis nomine data fuerunt literæ: quam

honorifice Romam fuerit inuitatus cognoui: sum ipse locupletissimus testis: nihil est, quod hac omnino de re quicquam dubitem. cæterum quid deinceps effectum est? nonne et summo apud Pontificem in honore habitus? nonne in maximis rebus eius opera maxime oportuna? nonne apud eiusdem Pontif. nepotem Illustriſſ. atque Reuerendiss. Bonromeum Cardinalem, duos annos in summam animi tranquillitate uitit? Quod uel ob eam in primis cauſam factum, quoniam qualem maxime optabat nactus erat Principē. in eo nanque uera religio, eximia pietas, omnis Iustitia, modestia, liberalitas, temperantia, nullaq; quæ in eo non penitus elucesceret uirtus, cuius actiones, atque cogitationes, cum ab omni uirtutum generi proficiſcerentur, ecquis iam uereri potest, quin cum incredibili quadam beatitatem fuerint coniunctæ? non possum certè non uehementiſime mirari, cum, qua est dicēdi lenitate, atq; copia, Vielmiū per ſæpe audio de ſummis, atq; innumerabilibus ampliis. huiuscē uiri laudibus, atque ornamentis prædicante. cuius nutu, et uoluntate etiam factum ſcimus, ut a Pont. Max. eius auunculo, ad hunc etiam dignitatis gradum perductus sit; in quo uel ipſe Pont. licet omnium supremus atque post Deum Altiss. sine uila dubitatione reperitur collocatus. Episcopus ita-

que effectus, eiq; animarum cura, qua nulla, aut mai-
or, aut præstantior, tradita est. quibus ornatus,
atque auctus insignibus, Tridentum ad illum tot Epi-
scoporum coetum, missus. iudicauit enim opt. atque
sapientiss. Pont. eo in loco ijs uiris, qui doctrina, pro-
bitate, religione, atque moribus maxime præstarent,
maxime opus esse. Ut igitur unde digressus pen-
sum, eodem reuertar, sua quidem cauſa, suoq; nomi-
ne is recusabat, quod studiosorum postea mihi gra-
tia ab eo concessum fuit. Futurum nanque ei pollice-
bar, atque adeo omnino pollicitus sum, summam secū-
hac eius scripta allatura utilitatem. Quibus profe-
cto fiet, ut in posterum diligentius diui Thomae scri-
pta, quae tam multa, tamq; uaria, atq; copiosa sunt,
quaeque magna ex parte penitus latebant, explicen-
tur, excutiantur, euoluantur, & in manibus habeantur.
Qui expositoris nomen iure adeptus est. cuius-
que libros tot uel prisorum Graecorum, uel Recen-
tiorum quorundam ab Italia, & mente, & locis peni-
tus seiunctorum uoluminibus solos habemus, quos, pa-
ria paribus reddentes, obiiciamus. fateor igitur fa-
cilius esse meis uel precibus, uel cohortationibus, ut
duo hi libri foras dati sint, qui optima quidem mente
uestrae utilitatis ergo, id fieri uolui. Qui eiusdem
etiam apologeticam orationem, olim quidem me etiā

audiente habitam, uobisq; concessam, sed solam incedentem, ijs adiungendam curauit. *V*os, ut bonos debeat, quicquid bona mente factum est, boni consulite, meq; bonorum semper in rep. literaria partiū, bonorum Iuuenum bene studiosum, ut par, atque conueniens est uera animorum uestrorum benevolentia prosequimini. ac Deum Opt. Max. mecum orate, ut eruditiss. huic uiro tantum concedatur & uitae, & ocij, ut quae parata sunt permulta, commodē ab soluere, atque ad exitum queat perducere. facile nā que fiet, ut illis, qui re ipsa Christiano nomine digni sunt, non parum uel fructus, uel lātitiae, quae ab hoc fonte manabunt, sint allatura. *V*alete.

Dat. Pat. Idib. Sept. M D LXIIII.

Errata Impressorum quaꝝ plane plura sunt
Lectori prudentiæ corrigenda relinquimus.

F· HIERONYMI

VIELMII VENETI,

Artium, & Sacræ Theologiæ

Doctoris, Episcopi Argolicensis

ex ordine Prædicatorum

assumpti,

DE SCRIPTIS D. THOMÆ AQUVI-
NATI LIBRI DVO.

AD IOANNEM DELPHINVM
ANDREAE FILIVM PATRICIVM
Venetum Ampliss. Torcelli Episcopum.

PRÆFATIO.



I de D. Thomæ Aquinatis doctrina, & scriptis recte, & sentirent omnes, & loquerentur, non ego Præsul Amplissime ea in præsenti laudanda sumerem, neque frustra quantæ sint præstantiæ, & utilitatis in Ecclesia Christi, ut Theologiæ studiosos ad illa accurate euolenda, & cognoscenda excitarem, pluribus ostende re conarer. Iure enim Antalcides Spartanorum Rex Sophistæ cuiusdam operam esse superuanciam existimauit, cum laudationem Hercu-

A

P R A E F A T I O

lis , quem magnopere uenerabantur omnes de libro legere appararet , ecquis illum accusaret falso interrogans . atque iureconsulti docent , quod notorium est à probationis onere releuare : sed & Aristoteles manifesta , & communiter concessa nequaquam probare solet , qualia illa sunt : Naturam esse ; Fortuna nonnulla euenire , locum esse immobilem , Tempus ubique gentium idem numero esse , & huiusmodi quædam , quæ explorata , & comperta omnibus cū sint , ostendere illa , esse , ridiculum arbitratur . Verum cum cæcitas quorundam tanta sit , ut Ecclesiæ solem hunc intueri non possint , & im probitas eo progressa sit , ut fontem sapientiæ limpidissimum , atque uberrimum inquinare cœno , & obstruere nitantur , non erit inutilis spe ro , & ingrata studiosis hæc opera nostra , qua etiam officium ; quod doctori præstantissimo debeo , utcunque persoluam . Nam studiorum meorum , *Ducem* , & *Antistitem* sumum post sacras literas , aliorum multorum doctrinis diligenter quoque inspectis , adhibita ratione , & iuditio mihi iamdudum illum constitui , diuturnaq; ac nocturna uersare manu non cesso ; ne quis ignoto *Deo Aram* me erigere dicat , aut uerba illa *Domini* in me detorqueat . Vos ado-

P R A E F A T I O

2

ratis , quod nescitis , ut ingratisimus proinde dici merear , ni in vindicandis illius monumentis ab impurissimorum quorundam calumniis meas omnes uires , ingenium , eruditio- nem , copiam adhibeam . Ostendam itaque priore libro errare toto cœlo illos , qui scripta Doctoris huius in uniuersum uel contemnunt , uel paruifaciunt , eorumq; uel maledicta , uel rationes multis argumentis , & testimoniis refellam ; Posteriore uero scripsisse Doctorem hunc uolumina propemodum innumerabilia , quorum nonnulla , subiecta materia , arte , & modo scribendi , & cum ueterum Theologorum quibuscunque scriptis conferri , & recentiorum libris longo interuallo præferri possint : simulq; ea suis classibus , & locis ita methodo distribuam , ut non admodum ægre studiosi in tabulas redigere possint , & scriptores , ac typographi in sectiones concinne digerere . Quemadmodum quoque Vincentius Iustinianus ordinis Prædicatorum Generalis Magister uir prudentissimus , atque doctissimus , fieri non modo magnopere cupit ; uerum etiam pro uiribus satagit . Et quanq; imparem humeris meis prouinciā suscepimus ; huius tamen sanctissimi Doctoris ope fretus (quam

A ii

L I A B E R

humilis , & supplex imploro) maiorem quoq;
obire non recusarem . Etenim , ut Nazianzes
„ ni uerbis utar , quemadmodum uitæ præce-
„ ptorem , & doctrinæ magistrum , & quicquid
„ honesti quis dicere possit , & ab initio statui , &
„ nunc statuo , & si quis rerum illius laudator
„ est , aut mecum est , aut post me , uictus adeo
„ ab illius pietate , eminentiç doctrina sum , ita il-
lius præsidium mihi non defuturum esse confi-
do . Te uero Ioannes Delphine Præful optime ,
& amplissime libellis his ultrò alloqui , eosq; ti-
bi dicare uolui , testes nō modo mei erga te gra-
ti animi ; & obseruantia , uerum etiam illius o-
pinionis , quam de tua eximia eruditione , prohi-
tate , & in D.Thomam pietate labeo certè sin-
gularem .

L I B E R P R I M V S.

DOMINA VIRGINIS OURIA sunt hominum genera , qui Diui
Thomæ Aquinatis libros uituperare , &
suo de loco deiicere conantur ; hæretici nimi-
rum omnes , & factiosi alii quidam , qui uel im-
peritia adducti , uel cæcitate coacti , uel inuidia
commoti tantam lucem ægris oculis ferre non
possunt . Sed de prioribus quorsum attinet uer-
ba facere ? homines sunt mali genii , perfidaæ

frontis, indocti, corruptæ mentis, præclaræ
cuiusq; Philosophiæ hostes, Republicæ Chri-
stianæ perturbatores, &, ut ait Hieronymus,
nobiles euadere conantur in scelere: & illorum
rationem ullam habebimus? Lutherus, & si ni-
mis impudenter, ac falsò Thomam uocare au-
sus est Phialam iræ Dei, eundemq; non modo
affirmat hæretica multa scripsisse, & auctorem
fuisse regnantis Aristotelis piæ doctrinæ uasta-
toris; quin etiam fontem & sentinam omnis
hærefoeis, errorisq; , & extinctionis euangeli:
quibus uerbis quid aliud, quoſo, agit, nisi
quod animi sui impotentiam, pus, & virus om-
ne, si tamen illud immensum pestiferi ueneni
pelagus exauriri potuit, in castissimum, for-
tissimumq; fidei catholicae propugnatorem
hunc, & antesignanum effudit? Cumq; com-
munis hæreticorum mos fuerit catholicos ma-
gistros uocare hæreticos, & Christianum popu-
lum probris, scommatibus, & contumeliis deho-
nestare, sibiq; & sectatoribus præclaros, & glo-
riosos titulos arrogare, &, ut Origenes scri-
bit, libros hinc inde circumferre, quos e' cælo
decidisse asserant: nemo tamen maiori procaci-
tate, & petulantia, quam nequissimus hic, mor-
taliumq; scelestissimus homo, in Ecclesiam

L I B E R

Christi uniuersam inuasit . Montani se^ttatores
in primis uero Tertulianus physicos nostros
uocabant , quod naturæ appetitus ; & conditio
postulare uideatur , ut cum alter coniugum de
cesserit , secundis nuptiis , liberisq^z procreandis
homines operam dent ; quod a scripturis edo-
cta Ecclesia, improbandum esse non censuit . O-
rigenistæ autem , Hieronymo teste , Pelusiotas ,
Lutheos , animalesq^z & carnales orthodoxos
omnes . qui his ossibus , carne , & artubus exci-
tandos nos esse a Domino credimus , cum uo-
let , contumeliax causa nuncupabant . Faustusq^z
Manichæus , referente Augustino , semichristia-
nos , nos appellabat : quia uetus testamentum
æqua ueneratione , ut par est , cum nouo recipi-
mus . quemadmodum & insignis apostata Iu-
lianu^s , Galileos , Saluatoremq^z nostrum , Gali-
leum , Gregorio Nazianzeno , ac Cyrillo testi-
bus , quod a Nazareth cum iudeis nihil boni pro-
ficiisci posse sacrilegè censeret : Iconoclastæ ue-
ro nos Idololatras non modo priscis temporis
bus , sed etiam his turpiter incestoq^z ore appell-
lant ob id , quod Christi sanctæ Deiparæ &
diuorum imagines pie colimus & exosculamur :
& Pelagius , Celestius , atque Capuensis Julianus ,
quia gratiam Dei esse nobis non modo utilem

quod illi quoque inficiari non audebant, sed necessariam prorsus confitemur, ut secundum Deum recte uelimus, & operemur, Manichæos nos esse affirmabant, ut Arrianos consulto p̄tēram, qui Eustantianos nos, Nicephoro teste, Athanasianos, Chrisostomianos, & eiusmodi ab Episcopis sanctissimis Dei cultoribus, quos maiores nostri sequebantur, atq; etiam Omouſianos, quod unum essentia Deum patrem filium & spiritum sanctum supplices adoremus, uocitare solebant. Hæc leuia esse facile quisque ducet, mitiusq; nobiscum egisse illos ueteres hæreticos arbitrabitur, qui uel lutheri libros legerit, uel Ioannis Cocllei, Thomæ Vuicellii, nostrorumq; commentarios euoluerit, in quibus portentosa illa maledicta, & sacrilegas uoces recent; quas in Pontificem Christi Vicarium, & uniuersalis Ecclesiæ Pastorem, in Oecumenica Concilia, in sacratissimos Episcopos, in amplissimos Principes in Clarissimos Doctores, in celeberrimas uniuersitates, in omnem denique ordinem, sexum, ætatem, tanquam de Plaustro, euangelicus uidelicet homo, & antiquæ religionis nostræ instaurator, effudit. Quo nihil meliores sunt, aut modestiores Philippus Melancthon, Calvinus Brentius, & recentissimi eius affeclæ, qui

L I B E R

ecclesiasticam historiam Cēturiis partitam nu-
perrimē euulgarunt . Etenim & Christianæ
Reipublicæ lumina omnia, priscos uidelicet pa-
tres, successores Apostolorum, Ecclesiæ magi-
stros, & spiritus sancti præclara organa, suis im-
posturis, & figmentis, tanquam quibusdam ne-
bulis obscurare nituntur, næuosq; & cicatrices
catholica eorum dogmata uocant ; errasseq;
contēdunt, ubi pietatem auitam docent. Ut ne-
mo proinde mirari, aut sciscitari ab hīscē hæreti-
cis debeat , cur S. Thomam non modo eorum
fortissimum malleum; sed ualidissimam quoq;
securim, ipsi animarum sicarij, & homicidæ tam
uehementer oderint. Ita enim religionis Chri-
stianæ dogmata Aquinas edocuit , ita explicar-
uit , ut omni se egisse studio ostenderit , quod
Hieronymus se factitasse etiam prodit , ut Ec-
clesiæ hostes omnes , suos quoque faceret ho-
stes . Perspicimus proinde catholicos quosque
egregios uiros calamitosis hisce temporibus ,
quibus hæresum Pelagus in Ecclesiæ nauim
tremit, ad huius Doctoris scripta, tanquam ad
tutissimam stationem, & sacratissimam ancho-
rā se recipere : & uix fieri posse, ut qui iugi , ac-
curataq; lectione uersatus in illis fuerit , perni-
ciosis erroribus irretiatur; & cum euenerit , fee-
cisse

cisse ueluti naufragium in portu . Ergo tantū abest, ut lutheri cæterorumq; hæreticorum in Thomam maledicta obscurare eius doctrinam possint, ut contra multum splendoris, & gloriæ afferant, certissimumq; & amplissimum sint illicius præstantiæ testimonium : sic enim Augustinum alloquitur Hieronymus, Macte uirtute in orbe celebraris, catholici te conditorem antiquæ rursum fidei uenerantur, atque suspiciūt, & quod signum maioris gloriæ est, omnes hæretici detestantur, An non eisdem uerbis quæso D. Thomam nostrum alloqui nos quoque rectè ualemus ?

Sed commune hæreticis est, tanquam circæis quibusdam poculis se, cum uolunt, in teras mutare, hominesq; & cæteras cicures persequi, ac deuorare. Quamobrē ad factiosos quosdam, à calcaria uidelicet in carbonariam, illis omnino spretis, me uerto, qui cum S. Thomæ lucubrations, uel nequaquam legerint, uel certè quasi prætereuntes tanquam canis, ut aiunt, Nilum attigerint, mirum minime esse debet, si minus quanta sit eius scriptorum dignitas intelligunt, &, si temerarios, cum in illa stylum stringunt, eos uocamus . Redarguit Epicurum Cicero, quod cum literarum geometricarum Archi-

B

2 LIBER

Medis nihil intelligeret; differere aduersus il-
las nihilominus auderet, & temerarios illos
non uocabimus, pluribusq; increpabimus, qui
fractis modestiæ repagulis in doctorem nobis-
lissimum hunc, quem uel non legerunt, uel non
intellexerunt, impotenter insurgunt? Nunquid
lex nostra inauditum iudicat quemquā? Discat
primum, ait Zosimus, deinde dicant: Sed factio-
num natura, ait quidam Censor, esse uidetur,
ut unaqueq; Principem suum suspiciat pluri-
mum, & præferre aliis contendat, atque eo
acrius, qui in ea maior est afficiatur, cum re-
pugnari instituto illi perspexerit, cui semel
se addixit. Fateor, nec omnino improbo; cum
omnibus hominibus, etiā illis, qui illiberales, &
sordidas artes exercent, in more positum sit, &
receptum, ut pro uniuscuiusque genio, eum
suæ artis principem laudibus singuli efferant,
quem in ea excellere iudicauerint. Quamob-
rem id impulsū, & excitatione quadam naturæ
euenire contenderim, atq; adeo intelligentiæ,
quæ boni alicuius gratia operatur: Ita n. uirtu-
tis suum redditur præmium. Cum primum enim
præcellentem in re quapiam cæteri cogitatio-
ne inuenient, suspiciunt, & uenerantur:
Habet enim uenerationē iustā (inquit Cicero)

Quicquid excellit: & D. Hilarius, Quod sensum
atque opinionem ingenii communis excellit, id
per admirationem sui meretur laudē. Deinde,
candidati reliqui hac præstantissimorum viro-
rum gloria ueluti calcati quodam ad metam
uirtutis attingendam feliciter urgenterunt: ut e-
nīm quidam ait, Ad studia quique accendimur
gloria. Et postremo quilibet quem magis pro-
bauerit, potest in ea disciplina, & facultate, cui
nauare operam cupit, ducem sibi, quem se
quatur, statuere; ac exemplar, quod imita-
ri, & ad uiuum ueluti exprimere studeat.
Soleat enim, quæ institutio præium non ha-
bet præceptorem, ac ducem fallax esse, &
omnino incerta. Quamobrem, & mundi
fabrum exemplar quoddam imitatum suis-
se Plato scribit, & Mosem scripture refert
tabernaculum instar exemplaris sibi in mon-
te demonstrati, Dei iussu, ædificasse. Ut pro
inde Hieronymus recte monuerit. Habet u-
numquodque propositum, Principes suos,
Romani Duce imitentur Camillos, Pau-
los, Regulos, Scipiones: Philosophi propo-
nant sibi, Pythagoram, Socratem, Plato-
nem, Aristotelem: Poetæ amulentur Home-
rum, Virgilium, Menandrum, Terentium:

LIBER

Historici Sallustium, Herodotum, Liuium:
Oratores Lysiam, Demostenem, Tullum, &
ut ad nostra ueniamus, Episcopi, & præsbyte-
ri, Apostolos, & Apostolicos viros, quorum
Honorem habere uidentur, & meritum: nos
autem habeamus propositi nostri Principes
Paulum, Antonium, Macarium: noster Prin-
ceps Helias, Heliseus, nostri Duces filii Prophe-
tarum, Hæc ille. Non igitur est, cur impro-
bem, cum sibi bonarum disciplinarum cultores
antesignanum aliquem diligunt, quem sequan-
tur, & quem laudare pro uiribus soleant: ue-
rum nemo cum aliorum iniuria honoratus est,
atque cum præclari viri iniucem conferuntur,
sunt proprius, & accuratius inspiciendi; quā quæ
procul cernimus, Plotino etiam teste, parua
esse existimamus, suntq; eorum uel facta, uel
scripta iustissima ingenii lance ponderanda.
Plutarchus Græcos, & Romanos Imperato-
res; Aristoteles in Poetica, Homerum, Aeschi-
lum, & Sophoclem, & in politicis Spartano-
rum, Cretensium, & aliarum quarundam Vr-
bium leges, & mores; Georgius Trapezun-
tius, atque Cardinalis Beslarion memoria pa-
trum fermé nostrorum Platonem, & Aristote-
lem; & nostra Ioannes Ecchius, atq; Erasmus

Hieronymum, & Augustinum; eodemq; fermè tempore Longolius Budæū & Erasmus, aliq; alios præcellentes in aliquo scientiarum genere uiros, odiosè, ut quidem mihi uidetur, sed grauiter tamen, iudicio & rationibus adhibitis, inuicem compararunt. At uero factiosi quidam qui è scholis egrediuntur suos omnino duces se pulchrè efferre existimant cum cæteros, qui scholas reliquas instituerunt, atq; rexerunt prbris de honestauerint, & inani quodam fastu contempserint. Qui si pietatem aliquam cum doctrina coniunctam haberent, mirarer profetò uehementer, si sui eos non subpuderet. Is itaque nos in præsenti uerius repugnabimus, quam bellum mouebimus; Iniuriasq; refellemus potius, quam inferremus; ubi Doctorem sanctum nulla cum maturitate, nulloue seruato decoro petulanter, ac temerè insectantur.

Et, ut ab ouo, quod aiunt, ueluti exordiamur, annum à sanctissimi Doctoris discessu è uita circiter decimum, cum illius lucubrations summa cum laude, & admiratione docti omnes legerent, & probarent, Rabula quidam prodiit, qui illas ad suum tribunal tanquam censor citauit, & insigni quadam inficitia cum pari petulantia coniuncta, ut ille quidem aie-

bat , correxit : librumqz propterea inuulgauit , quem Correctorium operum Thomae inscripsit . Florebat Aegidius Romanus tunc sancti Doctoris quondam auditor , vir excellenti doctrina , & iudicio acerrimo , ornatus , qui & magistri placita fortissime defendit , & errores , ac ineptias Rabulae illius ita detexit , & in theatrum exposuit , ut publico ueluti iudicio uictoriam tulerit , & cimmeriis tenebris codicem illum indoctum , quem eleganter , ac uerè Corruptorium nuncupauit , obruerit : atque præterea nomen auctoris suppressit in pœnam , ne uidelicet præclaris suis scriptis perennitatem aliquam , ullo unquam tempore consequeretur . Quanquam Abbas Trithemius eum ueluti ab inquis imprudenter , ut alios quosdam , postea reuocauerit . Prodiit deinde uniuersitatis Parisiensis nomine , censura quædam , quæ in S. Thomæ doctrinam ita genuinum infigit , & sic debacchatur , ut eruditæ Catholici , qui Scholasticæ Theologiæ genitricem illam uenerari solent , grauiter , & moleste admodum ferant tam probrosam , & contumeliosam lucubrationem illius nomini inscriptam undique circunferri . Ego plane ,

& si non dubitem alium neminem contingere S. Thomæ antagonistam , & concertatorem potuisse , cuius congressu glotiosior evadere posset ; atque infelix illius libelli auctor : uideamq̄ inconsultam illam , & subitam censuram irrideri passim , atque contemni : ex candesco nihilominus , quod eo temeritatis non modo impunè , sed etiam connuentibus Parisinīs auctor ille progressus sit , ut quisquias illas , & fæces , quas eo opere congerit in celeberrimos magistros tanquam in auctores , & fontes reiecerit . Utq̄ intelligent omnes , num ita sit , & discant iuuenes in euolentis eiusmodi imperitis scriptis horas male non collocare , bona , & integra fide pauca hic eius uerba transcribam .

Quinta conclusio prædicta , Sancti Thomæ doctrina secundum quosdam est in fide erronea , seu in aliqua sui patre , de eiusmodi errore suspecta . & in hac conclusione non assertive , sed solum recitativè loquitur . Pulchrè maiori numero uititur , ut emanasse à pluribus auctoribus , hoc est , ab uniuersitate uolumen illud do lo malo Tyronibus , & indoctis impone ret , utrobique satis rhetorice , & in transferenda accusatione , depellit enim eam

L I B E R

a se & in alios reiicit, atque in auctoritate sibi
ementito uniuersitatis titulo paranda: & ne for-
te, quod dixit excideret, mox haec etiam addit.
*Dicunt enim aliqui quod illa doctrina multos erro-
res continet.* Sed qui fit nebulo, ut eos, qui tam
fœdam notam, & graue uulnus Thomæ sanctis
simæ doctrinæ inferunt, nequaquam prodas: ne
quaquam de nomine accersias? Profer nomina
& uidebimus eos esse Ioannem Vuiclefum,
Ioannem Hussum, Hieronymum Pragensem,
aliosq; uel hæreticos, uel factiosos, & contentio-
sos obtrectatores; qui tanti uiri splendore com-
moti sese in tenebris abdunt. quorum auctorita-
ti in re hac, quicquam tribuere, reuera est in fi-
de uhementer errare; alioquin quid est, quod
ais? *Dicunt enim aliqui, quod ista doctrina mul-
tos continet errores?* Etenim & pleriq; sunt, qui sa-
cras lteras multos continere errores affirmat.
Alcoranus, Talmuristæ, Manichæus, Lutherus
& alii, qui uel ueteres, uel nouas, uel earum par-
tem, uel in integrum omnes sacrilegè non mo-
do olim, sed nostra quoq; ætate reiiciunt: num
ergo damnandæ illæ propterea sunt; aut ita a'
catholicis recipiendæ, ut de earum sanctitate sub
dubitetur? quis hoc dicat? Apage ergo cum in-
tolerabili hac siue ignorantia, siue amarulen-
tia,

P R I M V S

tia . Sed proferam argumenta quibus sciolus
iste grauissimum magistrum adoritur : & cum
spectatum admisero , r̄sum teneatis amici. Pri
mum non minori ignorantia, quām amarulen-
tia caput trigesimum libri secundi aduersus gē
tes quaqua uersum , sed infelicissimē tamen ex
pendit, confessimq̄ locutionem quandam San
cti Thomæ, ita enim loquitur , falsam sibi , &
impropriam uideri affirmat; ut propterea liceat
nobis exigere causam : Ergo sic ille ait, *Ethoc*
probatur &c. cum rursum scribit , uideri sibi
fundamētum doctrinæ, quam eo capite. S. Tho
mas tradit , multipliciter erroneous, rationem
hanc eruditus uir, & naris prorsus emunctæ at-
tulit . *Primo quia* &c. Utrobique nihil aliud
amicè lector addit , nullis argumentis præterea
nititur ; Sed eisdem præcisè uerbis , quæ legis,
pugnam instruit, negotiumq̄ omne absoluit, et
uictoriæ Encomium iactat . Papè quanta insa-
nia . Quis rogo hoc homine crassiorem, & sto-
lidiorem seculis etiam infelicissimis prioribus
illis se uidisse unquam meminit ? Et hic dignus
est , qui cum Thoma pugnasse dicatur ? qui ma-
nibus studiosorum teratur ? & quem Parisien-
ses suo nomine cum magistro sententiarum im-
pressum legi æ quo animo ferant ? Proh pudor.

C

LIBER

Sed ad hæc, cum enumerasset nonnulla, quæ in doctrina. S. Thomæ displicere sibi imperitè cōtendit; alia quædam præterea ab illis esse subdit; quæ erronea, falsa, & impropria in illa sunt: quæ si roges, ut prodat; ita mollis, & delicatus homo respondet; *Quæ tamen ex tædio prætermisimus.* Et ita Ioannes doctissime.

Si tantum species hominis caput Hectora credas

Si stantem uideas, Alcyonacta putes.

Proinde clarissimæ illi uniuersitati dedecori esse semper existimauit tam ineruditum, & probosum libellum illius nomine inscribi: Quam obrem uolui excursione breuissima hac candidatos omnes admonuisse magis, quam cum indoctissimo illo Anonymo pugnasse: Nec tamen ab eruditis minorem gratiam spero mihi relatum iri. Iam uero eius generis complures reperies, qui non nisi multis amarulentiis, magnoque uerborum strepitatu, liuore quodam, & insigni malitia ducti, suspicari certè aliud non licet, præstantissimi huius Doctoris monumenta susq; deque faciunt, quos omnino præterire, atque contemnere, ut ad grauiora properem, mei esse maneris censeo, & Aristoteles ita fieri oportere,

prudenter submonuit.

Venio ad eruditos quosdam, qui maiores illos nostros, qui in Theologia ultra quingen-
tos, uel etiam sexcentos Ecclesiæ priores annos
scripsierunt, audiissime legunt, summopere ad
mirantur, & mirificè colunt: Sanctum autem
Thomam, & recentiores hos, qui citra quin-
gentos hos annos prodierunt, & Scholastici nū
cupantur, nequaquam sua lectione dignos cen-
sent, molesteq; ferunt à quoque impensiū lau-
dari: dicereq; frequenter in congressibus solēt,
quod ueteres Patres non modo eloquentissimi
in scribendo, & suauissimi sunt, & proinde gra-
tiam, & amorem Theologiæ conciliant, reli-
qui uero barbari, & sordidi, & qui lectores
abigunt, & perterrefaciunt; uerum etiam,
quòd illi Theologiæ fontes, & præclari paren-
tes sint, atque auctores: Scholastici autem com-
pilatores, & rapsodi, quòd nihil fermè noui pro-
munt; sed acceptam à Patribus doctrinam an-
xii disquisitores, & uitiligatores obscuras-
se suis disputationibus uideantur: quamob-
rem Oecumenica Concilia, ipsaque in primis
Romana fides fidei magistra tanti hos patres
fecerunt, ut non nisi illis ducibus, & ma-
gistris emergentes in Ecclesia de Religione

LIBER

controuersias definierint, & publicis editis eos
rum opera comprobauerint: Scholasticos au-
tem non modo hallucinari, uerum etiam perni-
ciose errasse affirmant; & proinde probè Reis
publicæ nostræ consultum iri, si iuuentutis no-
stræ flos, qui scholas sectatur, & suspicit, ad sa-
cra Biblia, & ueterum duntaxat uolumina ac-
curatè legenda, reuocaretur. Et hæc quidem
illi. At uero alii quidam doctrinam Thomæ
multos habere oppugnatores, uiros egregios,
& celebris in Ecclesia nominis cōtendunt. Hen-
ricum, Durandum, Ioannem Scotum, Alphon-
sum, Gregorium Ariminensem, Aureolum, &
complures alios, quos omnes aut imperitiæ aut
malevolentiæ damnare, summa esset impuden-
tiæ, & temeritatis: contra uero Catholicos om-
nes recipere ueteres patres, atque eorum doctri-
næ subscribere. Sunt & alii, qui crebro articulos
quoddam Lutetiæ Parisiorum damnatos, qui
ex Thomæ doctrina feruntur excerpti, aut cer-
tè cum illa arctam habere necessitudinem, & af-
finitatem, in illam obiiciunt; Alii rursum fasti-
dire se in eius scriptis frequentem illam locoru
multorum repetitionem, quam cernimus, siqui-
dem nō modo in Summa, quin etiam in Senten-
tiis, in Quæstionibus Disputatis, & cæteris fer-

mē omnibus scriptis eadem argumenta subiectasq̄ materias tractat, ut non possit lectori crebra illa repetitio rerum etiam pulcherrimarum non esse molesta, & superuacaneus illius doctoris alicubi labor. Obiiciunt in eundem alii obscuritatem, nam cum multa multis in locis scripsérat à se ipse, ueluti eorum immemor, quæ alibi dixerit crebro recedit suppresso nomine, inter dum autem, & se accito recantat, ut multam ob id, atque accuratam meditationem afferre lectorem oporteat, si dictornm conciliationem, atq; concordiani assequi ubique uelit. Sunt & præsterea mysticæ Theologicæ studiosi quidam qui se moleste ferre dicunt, quod frigidum, & elonguentem animum hæc Thomæ doctrina ad modum raro ad Dei amorem, & ad bene beatasq; uiuendum calefaciat, & impellat: atque quod seculares disciplinas cum Theologicis frequenter commiscet, perinde ac si sacra scriptura, & Sanctorum explicationes satis non essent ad arcana illa percipienda, quæ nec gentilium, & uniuersæ naturæ oculus uidit, nec auris audit: Quod in scholasticis fermè omnibus, D. Bonaventura excepto, Cancellarius Gerson deplorat, magni apud quosdam nominis Doctor, quemadmodum quoque quod curiosi nra-

LIBER

mium sint, & ea inuestigent interdum, quæ humiliitate, & sancto silentio adorare debuerant, & ea subtilissime disquirant, quæ nullam lecto ribus afferunt frugem, aut utilitatem, nihiliq; aut certe parui referat, num sic, uel alio modo se habeant: quod argumentum Erasmus & fuenesti homines quidam rhetorice, hoc est multis uerborum lenociniis, ac præstigiis ita tradarunt; ut bonæ indolis egregios plures adolescentes à Scholasticorum, præsertim à Sancti Thomæ stabili, & certa doctrina ad Poetarum nugas, & flores rhetorum maligne abduxerint, in illisq; conscenescere coegerint. Sed & nōnuli partitiones illas, & subpartitiones tam crebras in eius scriptis magnopere damnant, Postremo mirantur quidam, & facti rationem quaerunt, cur Aquinas nunquam præceptoris Alberti, nusquam Alexandri Allensis, Vincentii, & aliorum meminerit, nunquam honoris saltem gratia citauerit, qui uel eadem ætate cū eo fuerunt, uel certè paulo antecesserunt, quorum ueruntamen doctrina, & scriptis plurimū profecisse uidetur. ac nisi hominis sanctissimi puritas, & innocentia criticos hos deterreret, plura quoq; & non rogati ultro' doctrinæ huic obiicerent.

Aduersus igitur hos, cum rationibus agere
nobiscum uideantur, non maledictis , ita ego
submissa , & æquabili disputatione agam: ut ui-
cissim rationibus , argumentis , & testimoniis
ostendam , quod mearum partium est , Sancti
Thomæ scilicet doctrinam tanquam domum
illam euangelicam supra petram egregie stru-
ctam uentorum huiusmodi uim , & aeris incle-
mentiam non pertimescere, quinimò inconcus-
sam manere , & ueluti conflagrantem Mosis
Rubum in medio ignis, uel certè uti sanctos il-
los Iuuenes Dei cultores in fornace nō consum-
mi, sed perstare, & cohærescere, Iudiciū uero tu-
um, & cēsuram uir eruditissime ultrò deposco.

Ergo Sancti Thomæ præsidio rursum hic im-
plorato, sic ego prioribus respondeo . Adeò
agnoscere me , & uenerari ueteres Ecclesiæ
Doctores, ut Christianam pietatem omnem,
post sacras literas , & Apostolorum tradi-
tiones, eisdem memor , & gratus acceptam
referam , eisque post Apostolos , & marty-
res principem in Ecclesia locum Catholicus
tribuo ; honorisque gratia soleo cum Basilio
eos uocare Theologos; cum Gregorio Nazian-
zeno sermone , & opere magnos; cum Athana-
sio mirabiles, & laboriosissimos; cū Hieronymo

L I B E R

magistros Ecclesiarum , Orbis Deucaliones ;
Aquila; cum Ruffino columnas Ecclesiæ , &
turres inexpugnabiles; cum Augustino sanctos,
& Venerabiles Sacerdotes, & in diuinorum elo
quiorum tractatione Clarissimos; cum Celesti-
no , uiros sanctæ recordationis, & magistros op-
timos; cum Damasceno, Deiferos; cum Ven. Be-
da eminentissimas Catholicae fidei arces ; cum
Bernardo ualidissimos hæreticorum malleos ;
cum Agathone egregios Præfules, præstantis-
simos doctores, prudentissimos ueritatis prædi-
catores, & defensores, atque Orthodoxæ fidei
constantissimos propugnatores ; & postremo
cum Oecumenicis Synodis Patres patrum, glo-
riosos doctores , & tuta munimenta Ecclesiæ.
Memini, & frequentissime quidem præclaræ il-
lius Basili sententiæ, Quod uetustate excellit ue-
nerandum est; ac prudentis admonitionis Zosi-
mi, Apud nos inconuulsis radicibus uiuat anti-
quitas; & demum quod Calistratus dixit, Sem-
per in Republica nostra uenerabilis fuit sene-
ctus , & senibus eundem , quem magistratibus
honorem maiores nostri uiri laudatissimi tri-
buerunt. Verum enim uero agnosco , & iustis
laudibus alios posteriores complures etiā pro-
sequor, qui spiritus sancti opera , & magisterio
non

nōn unio eodemqz tempore omnes pro patribus
filii in Ecclesia natis sunt, quosque ob eorum in
nos praeclara merita publico iam dudum orbis
decreto uocamus Angelicos, Seraphicos, Solē
nes, Irrefragabiles, Subtiles, Illuminatos, Gra
ues, Resolutos, Profundos, Magnos, et Ma
ximos. Siquidem Alberto nunquam pro digni
tate satis laudato uiro gymnasiorum consen
sus, uiuenti ultrō hoc cognomentum detulit:
ut satis mirari non desinam, cur eos impensē lau
dari à nobis antiquarii illi molestè ferant. Lau
dat Plato Gr̄cos, quod artes & disciplinas om
nes, quas à Barbaris acceperant, auxerint, & il
lustrauerint; & non attollemus præconiis illos,
qui Theologiam in scriptis Patrum dispersam,
& latissimis, ueluti campis hinc inde in frusta
magisquam in membra diuisam collegerunt, in
unumqz corpus contraxerunt, ac ursarum mo
re, multo labore, & uigiliis lambendo pulcher
rimam effinxerunt, intraqz certam domum sic
habitare fecerunt, ut nemo sit, qui non breui
quoque tempore eam conuenire possit: deqz fa
cie cognoscere, & eius euadere non iam ho
spes, sed contubernialis, & familiaris? Quanto
tempore quoqz so, quanto studio, quibus uigiliis
opus est, si Theologus, doctus, & peritus so

D

LIBER

la veterum patrum lectione euadere uelis? Nul-
lus eorum sane est, qui ordine, methodo, & re-
rum connexione, quemadmodum posteriorum
plerique, in primis autem Sanctissimus Aquinas,
rem Theologicam uniuersam tractauerit, sed
cum uel sacra Biblia explicarent, uel in gentes,
Iudeos, & hæreticos scriberent, uel a miseri sci-
scitantibus satisfacere cuperent, euenit, ut unus
in uno, alius in alio argumento eruditio*nis* suæ
opes effuderit, hacque ratione talenta sibi credi-
ta exposuerit; ut si ueterum illorum lectione
duntaxat contentus, absoluere numeris omni-
bus Theologiam uelis, uere ars longa, & uita
brevis futura sit. Quamobrem Ioanni Dama-
sceno Patri præstantissimo, qui anno Domini
quinquagesimo ferè supra septingentesimum,
omnium, ni fallor, primus Theologiæ Pano-
pliam, quatuor de orthodoxa fide inscriptis li-
bris congerere, & ordine distribuere aggressus
est; referre multas gratias Theologi omnes de-
bemus. Etenim cum primo libro de Deo, &
quatenus essentia unus est, & quatenus personis
est trinus egisset: mox secundo de opificio at-
que formatione uisibilium creaturarum, eoque
pertinentibus rebus aliis: tertio de incarnatio-
ne uerbi Dei ac rebus ab eo ad descensum us-

que ad inferos; præclare gestis: quarto denique de illis omnibus quæ Christo Domino à resurrectione contigerunt, atque deinceps de fide, de Baptismo, de Eucharistia, deq; Antichristo, & postrema humani generis resurrectione tractauit, eo usus differēdi, docēdiq; pulcherrimo ordine, qui, cū Petro Abelardo, Magistroq; Bandino, & posterioribus omnibus placuisse, a Petro quoque Lombardo Episcopo Parisi ēsi, annis circiter quadringentis post Damascenum, in quatuor libris, quos Sētentiarum uocant, seruatus est. In quibus ita copiosè, & diuīcidē Theologiam omnē complectitur, ut, cū imitari Damascenum uideatur, longo tamē interuallo antecedat, magistriq; nomen, reclamāte nemine, adeptus sit. Et plane plurima neq; leuia, neq; cōtemnenda, quinimō absq; quorū notitia Theologia manibus, pedibusq; truncā esse uideretur, Damascenus īportuno silentio prætierat. Huiusmōi tūt sacramēta alia ab his, quæ cōmemorauimus; uirtutes morales ac Theologicæ, & quæ illis aduersātur uitia ac peccata: ad hæc spiritus sancti dona, beatitudines, hominū status, & alia propemodū innumera, quorū, una fide excepta, aut nusquā ille meminit, aut certe quasi per trāsennā. Abelardus aut̄ hæreticus cū

fuerit, & Bandinus humilis nimium, & concisus raro aut nunquam leguntur: At uero cum Gulielmi ambo Antisiodorensis, & Parisiensis, Albertusq; Magnus, & Alexander Alensis Lombardum non multis seculis postea subsequuti, eius imitatione Theologiae summas quasdam meliori ordine edidissent: D. Thomas omnium postremus Theologiae illustrem illam summam certissimo ordine pulcherrima methodo, & differendi subtilissimo artificio scripsit, palmamq; antiquioribus, & posteris omnibus citra controversiam in eo scribendi genere ademit, numerisq; prorsus omnibus, ut eruditissimi quique fatentur, sacram Doctrinam nostram absoluit. Quam ob rem cum primum illa in lucem prodiit, omnes antiquorum summae tanquam exorienti soli sidera cōcesserunt: Et acutissimi viri, qui postea ad p̄æclarā gloriā principatusq; fastigium cum Thoma contendere uisi sunt, prudenter maluerunt in elucidando Lombardo, atque in miscellaneis disputationibus, quae Quodlibeta vocant, quam in edenda summa Theologiae aliqua cum eo periculum facere. Persequeuntur tamen longiore oratione laudes eius operis inferius, nunc ostendisse satis sit Scholasticorū, p̄cipuæq; sancti

Thomæ beneficio habere nos integrum, & egre
gie formatam Theologiam, immensumq; Pri
scorum Patrum Oceanum fuisse, eorundem in
dustria, ueluti quibusdam angustis sinibus con
tractum, ut longi itineris moras studiosi causa
ri amplius nequeant, si non omnia littora, &
stationes lustrauerint. Non possumus igitur
eos non admirari, non eximiis laudibus perse
qui, ac demum honestissimum illis locum in
Ecclesia non dare.

Sed aliud præterea beneficium, quod neque
leue, neque contemnendum est, Theologis uiri
iij celeberrimi suis disputationibus, Scholasti
ciscq; officiis præstiterunt. Nā cum Veteres mi
norij interdum, ut ita dicam, circumspectione;
majoricq; licentia in scribendo usi sint, quod non
adeo multi hæretici eo tempore Rempublicam
Christianam uexarent, & se aliter intelligi non
posse arbitrarentur, quam catholica sentiret
Ecclesia: Recentiorum quoque opera factum
est, primum quidem, ut patres commode & pie
postiores Catholici interpretemur; non uero
eos confessim nostra censura aut damnemus,
aut deridendos, & ex sibilandos, quod faciunt
hæretici, in medium proferamus: deinde ut
pressius, limatius q; a præscriptis uerborū qui-

LIBER

busdam formulis, certisq; consensu doctorum,
regulis non recedentes loquamur. Neq; enim
ea uerborum libertate Theologis uti conce-
sum est, qua Philosophi gentilium usi sunt; qui
non semper castas, & religiosas aures require-
bant: sed castè, propriè, accurate, & demum
ita, ut nullam offensionem, nullam impiam fal-
samue opinionem in animis auditorum sua ora-
tione pariant. Quam forte ob causam Hiero-
nymus trium Hypostaseō nomē claturā, quod
noua illi uideretur, uel certe priscorum in scri-
ptis non admodum frequens; non nisi Damasi
auctoritate in unitus recipere uoluit: & Augu-
stini, quod Fortunæ nomē suis in scriptis fre-
quētasset pœnituit. Siquidem receptis hisce lo-
quendi formulis, quas seruamus, fit, ut in præ-
senti tutissimam, castissimamq; Theogiam
habeamus, ut hisce quoque rationibus laudare,
& uenerari Patres Scholasticos Catholici om-
nes teneamur.

Sed Barbarè inquiunt nonnulli, & sordide
scholæ loquuntur. Audio, & plane fateor con-
tempsiisse, aut certe neglexisse eorum quosdam
consulto illas orationis, & linguae elegantias, at
que amanitates, quas ueterū quidam ad super-
stitutionē usq; ut dicam quod sentio, haud raro-

sestātur. Sic. n. aureo illo fluunt eloquentiæ flu-
mine, ut interdum satis assequi nō possim, num
prodeesse magis, quā delectare, & num Philolo-
gis magis, quam Philosophis scribere uolue-
rint. Scholastici uero insigniores in id incūbunt
omnes, atq; laborant, ut rerum ueritatē nullis
coloribus fucatam, nullis lenociniis expolitam
rectis, masculis, & acutis ingeniis spectandā exhi-
beant: quæ neq; incultam dictionem horrent,
nec abigi se à Theologiæ domo, quòd rethores
& grāmatici non sint propterea arbitrātur. Le-
gat qui uolet Augustinū, & lacte magis, quam
solido cibo uesci oportere eos omnes animad-
uertet, qui flores orationis atq; splendorem an-
xii ita requirunt.

Quanquam Aquinatis oratio non solēcismos
habet, non barbarismos, non odiosa, non etiam
latinissimis hominibus prorsus ingrata. Neruo-
sa est, perspicua est, & ut mihi quidē uidetur uo-
cum proprietatem seruat, & certis numeris
fluit, quamobrem eruditorum omnium consen-
su, Scholasticos omnes in dicendo superat.
Præstabitq; fortasse quorūdam testimonia hoc
loco afferre, qui maximam laudem in scribēdo
tépestate nostra adepti sunt. M. itaq; Antonius
Nata sic quodam in loco scribit. D. Thomas

L V B M E I R I Q

„ vir diuino, & cælesti ingenio, qui optima assis
„ due meditatur, ac ea dilucidius ceteris profert:
Jacobus Brutus Cluriensis: stilum inquit, habet
„ D. Thomas clarum atque facilem, nulla Bar-
„ bariæ respersum, & subi ita conceptus exprim-
„ mit, ut altæ profundæq; materiae quasi sensim
percipi possint: Ludouicus autem uiues hunc
„ in modum ait: simile est huic opus D. Thomæ
„ Aquinatis secundæ partis summæ, quod in
„ duos Tomos dividitur, scriptoris de Scola om-
nium sanissimi, & minime inepti: Cui Basilius
„ Zanchius, ita subscribit. Ideo in primis chris-
„ tianæ fidei decreta atque sententiæ ex una ali-
„ qua e summis, quas uocant, illustrium Theolo-
„ gorū, maximeq; Doctissimorū Virorum iudi-
„ cito, D. Thomæ Aquinatis, quantum satis est, ad
„ discenda sunt; quia eas clare admodum, & in
„ breui, & quod magni refert, recte, atque or-
„ dine, ac summatim inde colligere, atque intelli-
„ gere licebit: At uero Erasmus, qui non modo
Aquinati, sed reliquis omnibus utriusq; classis
Doctribus, ipsiç christianaæ Republicæ præ-
cipue iniquior extitisse crebro uidetur, ita de
eo alicubi scriptum reliquit. Thomas addicen-
dum non fuit natura ineptus, si se le perinde hic
exercuisset, ut exercuit in philosophia & in ar-
gumen-

gumentando. Et alibi rursum hunc in modum,
Dictu mirum est, quām se torqueat hoc loco
Thomas Aquinas, uir alioqui non suo tantum
seculo magnus. Nam meo quidem animo nul-
lus est recentium Theologorum, cui par sit dili-
gentia, cui sanius ingenium, cui solidior eru-
ditio, planeq; dignus erat, cui linguarum quoq;
peritia, reliquaq; bonarum artium suppellex
contingereret, qui iis, quæ per eam tempesta-
tem dabantur, tam dextrè sit usus. Hæc qui-
dem Erasmus, & recte planè. Neq; enim ea cla-
rissima Latinæ linguæ Lumina, Vallas, Adria-
nos, Thesauros, Promptuarios, quibus, ceu Lo-
godædalis quibusdā, hæc nostra in re latina fœ-
licissime iuuatur, & promouetur, Thomæ ætas
habuit: Verum puluerulentos illos, & ita mo-
do neglectos indices, atque auctores, quorum
nomina, persequi superuacaneum est. Isido-
rum præsertim, quem Alciatus esse omnino ma-
lum latinitatis auctorem dicit, ut mirari nemo
proinde debeat, si ignorauit Aquinas, unde
Articulus latina uox inflectatur, & quid Græ-
ca dictio Molote apud Paulum significet, quē
admodū & Periodus apud Aristotelem unde
inflectatur, & quamobrem Aristotelis libri ali-
quot Acroamatici, reliqui Exoretici dicantur,

E

LIBER

putaueritqꝝ falso à Samo Calabriæ Vrbe
Pythagoram Samium nuncupatum fuisse .
Quanquam hæc , & alia ab antiquioribus pe-
ti poterant , qui de illis copiosè scripserunt ,
sed interdum operi longo fas est obrepere
somnum , & ueteres atque recentiores præ-
stantissimos uiros grauiora , quam plurima
præterierunt . cumqꝝ in interpretando Aristotele , & sacris Bibliis illustrandis potissimum
ille uersaretur , Aristotelisqꝝ æditio , quam
interpretatur barbara , aut certe inculta es-
se noscatur , quamobrem & Boetii non es-
se illam plerique in linguis docti affirmant ,
& sacræ literæ nullo orationis flore , sed sim-
plicissimis uerbis loquantur , ineptus ille at-
que imprudens fuisse , si Latinæ linguæ or-
namenta , & cultum sectari in illis uoluisset .
Pulchrè enim Hieronymus alicubi ait ,
 Neque hebræum Prophetam edifferens o-
ratoriis debeo declamatiunculis ludere ,
& in narrationibus , atque epilogis Asiati-
co more cantare . Sed quid postremo quo'd
nec Veterum stilum , ac dictionem censores
isti , qui Thomam barbarè loqui contend-
unt , omnino probant ? quanquam cum de

Scholasticis uerba faciunt, ut eos inuidè de-
primant, aut certè, quod magis optarem,
immemores eorum, quæ alibi dixerunt, Pa-
tres ipsos nitidissimos, eloquentissimosq; appel-
lant? Cyprianum profecto, Augustinus
suauissimum Doctorem, & merito uocat;
Hieronymusquè illi orationis splendorem tri-
buit. At quomodo hunc, & alios plures
Hispanus quidam, & tumidus censor ex-
pediat, referre, quanquam non sine stoma-
co, pergo: Ita enim ait. Tertullianus pertur-
batissime, loquitur, ut Afer: Cyprianus, &
,, Arnobius eiusdem gentis clarius, sed & ip-
si nonnunquam afrè: Augustinus multum ha-
bet Africitatis in contextu dictioñis: Ambro-
sius non admodum Latinus est, ut suavis: La-
tinior est Hieronymus, nisi quod nonnunquam
Sacrum se Auctorem esse meminit de re soli-
citus magis, quam de uerbis. Ergo eorum La-
tinorum Patrum, qui primas in Ecclesia te-
nent, nemo censori huic omnino Latine,
nemo omnino pure, & eleganter loqui
tur. Theodorus Gaza Iudicis sententiam
in Hieronymum, quod Ciceronianus eset,
irridebat. Alii, unum duntaxat Ciceronem sua

LIBER

lectione dignantur, & mirabimur cum Thomam barbare uel etiam sordidè scribere lucutuleii isti contendunt?

Iam uero cum innumera fermè sanctarū scripturarū arcana, & præstantissimorum Philosopherū argumenta, quorum Patres nō meminerunt, Scholastici subtiliter accurateq; explicauerint; nō satis intelligo, cur Fontes, Parentes, Auctoresq; appellare hos homines isti ubiq; recusant. Quanquam enim aurea illa Ecclesiæ ætas, quæ plenitudinis à Paulo nuncupatur, qua Dominus noster nobiscum est uersatus in terris, Apostoliq; Principes nostri, & beatissima in primis uirgo Orbem sic illustrarunt, charismatibus omnibus refertissima & cumulatisima fuerit; perspexerunt nihilominus, spiritu sancto Ecclesiæ magistro docente, arcana multa, rerumq; multarum ueritatem Thomas, & Recentiores nonnulli accuratius, quam uel Basilius, uel Hieronymus, uel Veterum eorū complures, quos ii Fôtes Theologiae uocant, & nos minime recusamus. Quod si Critici dixerint, accepisse Recentiores à Patribus semina eorū argumentorum, quæ ecclesiæ fœlicissime reseruerūt; ut propterea Veteres soli auctores, & parentes Theologiae dici mereantur & possint:

nos uicissim Veteres ab Apostolis, & Prophētis monumētorum suorū & semina & segetem omnem, commodato ueluti, accepisse affirmabimus; ut proinde catholica, & probata, non hæretica, aut suspecta recens hæc, & antiqua Ecclesiæ doctrina esse hoc argumento noscatur. Nam Tertullianus Nouellitatē omnem (usurpabo eius uerba) suspectam haberi uult, & id esse uerum, quod est primum; quodq; posterius est, adulterum esse. nimirum, ut alii quidam ante nos recte intelleixerunt, cum ita posterius est, quod ab Apostolis, & Patribus originē suā nō trahit: ita enim & dominus cum libellum repudi, quem lata lege permiserat Moses, non probaret, Nouellitatis crimen à se depellit: Ab initio, inquiens, non sic erat; ut proinde uetus institutum se restaurare magis, quam noui quippiā afferre ostēderet. Et hæc est catholicorum securitas: Quod ab Ecclesia accepi (inquit Bernardus) securus teneo. Et patres synodi Nicenæ secundæ, Magnam securitatem in eo collocamus, quod nulla recentia inuenta ad rem nostram probandam inquirimus, sed Apostolicis, & Patrum doctrinis, Ecclesiasticisq; consuetudinibus acquiescentes, his nostra confirmamus. Sed & Plato pulchre ait, argumentum inscitiae esse a' sa

LIBERT

pientibus dissentire. Et Socrates ironico's, ut
mea fert sententia, dixit, nam Sophistarum ac
leuissimorum hominum magis, quam præstan-
tissimi Philosophi uox illa alioquin esse uides-
tur, Semper noua ac pulchra stupesco. Ad-
hæc, cum Thomas, cæterique Scholastici fermè
omnes antiquorum Patrum nomina, per quos
in literis profecerunt, nunquam dissimulare,
quin potius honorifica crebro cum præfatio-
ne citare soleant, non satis id quoque intelli-
go, cur uel compilatores, uel fures, uel ingra-
ti, ab antiquariis hisce Scholastici dicantur.
Neque enim qui aliorum laboribus in re litera-
ria sua scripta locupletant compilatores, aut
rapsodi propterea dici confestim merentur.
Alioquin scriptores plerosque ueteres, quos isti
extollunt compilatores quoque uocabimus.
Nemo enim quidquam cum laude ullo un-
quam tempore, aut scripsit, aut docuit, qui
priorum uolumina, qui de illis, quæ tractare
uult argumentis scripserunt, non accurate in-
spexerit, & in suū usum prudenter cōuerterit.
Ut enim Spiritus prodit arcana ad utilitatem
Ecclesiæ, ita pia mente Auctores Catho-
lici sua uolumina conscripserunt, ut cæteris om-
nibus pro uiribus prodesse uoluerint. Ergo quæ

admodum fur ille non est, qui aut uolente, aut
conniuente horti domino alicuius poma de-
cerperit, floresq; legerit: ita compilator non
est, nec peculatus accusari potest, qui scriptis
priorum, sua quoque uel copiosiora, uel or-
natoria reddit monumenta. Sunt enim docto-
rum uolumina horti, orationes flores, sententiae
poma. Quam multa quæso Cyprianus a Ter-
tulliano, quem propterea Magistrum uocabat,
decerpsit? Quam multa Augustinus a Cypri-
ano, ab Hilario, & ab aliis antiquioribus? At ue-
ro Hilarius, & Ambrosius in Origenis, Hip-
polyti, atque Basilii monumentis, suppressis eo
rum quoque nominibus (ut magis mireris)
lucubrationes plerunque resarciant: ut Hiero-
nymus grauiter illos haud raro notauerit. Sed
& Hieronymus ipse, nonne antiquorum uo-
lumina, quorum erat in Ecclesia aliqua laus,
improbo labore, & flagranti studio perpetuo
euoluebat? ob id nanq; scribit. Utinam haberem
tractatorum omnium uolumina, ut tarditatem
ingenii, lectionis diligentia compensarem. Et
alibi rursum. Operis mei est, & studii mul-
tos legere, ut explorimis diuersos flores car-
pam, non tam probaturus omnia, quam quæ
bona sunt electurus. Ergo recte dictum fuisse

S V N I B E R

„ fateamur, Nihil dictum, quod non sit dictum prius. Et indigna hæc esse quæ præstantissimis viris obiiciatur.

At uero amici nostri eorum disputationes præterea uituperant, qui miro ingenii acumine, & solertia incredibiliter illas, de quibus tractat ad uiuum usque, quod aiunt, resecare, & earum minutissimam anatomen facere ea de causa solent, ut nihil ab illis indiscutsum, nihil non perspectum, & examinatum remaneat; utiligatoresq; & anxiost disputatores appellant, Talpæ Aquilas, Cicadæ Formicas rident. Crassi nimis rū, & molles homines acutissimos viros, quos laudare debuerant, imprudentes coarguunt. Fitq; quod pulchrè Quintilianus ait, ut dum imperitis periti uideri uolunt, peritis imperiti uideantur. Acres enim disputationes, & rerum investigationes, quas in umbratili pugna molles isti improbant, nō modo mel de petra, & oleum de saxo durissimo de promere sæpe solēt, uerum etiam ingenia excitare, acuere, fæcundaq; facere; certioraq; & cariora ea studiosis reddere quæ didicerūt. Ut prætermittam interea, solere eos, qui disputationibus, cæterisq; Scholastico-rum exercitiis, operam diutius non dederunt, cum primum cum ciuiusmodi scholarum cultori bus

bus congreguntur, dum in notissimo alioquin
sibi argumento uersantur, uel uerba inaniter
differendo profundere, uel prorsus elingues ef-
fici; in absurdasque sententias, & manifestas re-
pugnantias, tanquam uertigine commotos, ab
eisdem quaqua uersum rapi, ita ut nec recte ar-
gumentari, nec probe respondere, nec metho-
do partiri, nec ex arte colligere, nec demum
quid concedendum, quid'ue negandū sit agno-
scere uideantur. Quamobrem ad imperito-
rum asylum, hoc est ad probra, & contume-
lias se se miseri, & infelices euestigio uertunt,
Antagonistasque suos sophistas, litigiosos, ac
uitiligatores, furiis agitati, ridentibus spectato-
ribus uocant.

Sed esto quod Scholasticorum nonnulli quae-
stionibus inutilibus, quas deuitandas esse Pau-
lus monet, plus iusto haud raro immorentur, ue-
ritasque eorum nimiis altercationibus non semel
euanscat; & quod eorum nonnulli ita subtili-
ter, ac uehementer eandem ueritatem uel la-
befactare uideantur, uel sub iudice manere, in
utranque partem Carneadis, ceterorumque so-
phistarum, & rhetorum more, differendo com-
pellant; quid hanc ad D. Thomam? qui nihil non
necessarium, non utile, non Theologo, aut Phi-

F

Iosopho dignum pulcherrimo ordine, magna
grauitate, & incredibili iudicio ubiq; disputat?
Vbi non ille disertis, & perspicuis uerbis sen-
tentiam suam dicit? Vbi causas non
aperit, atque rationes, quibus ab hac magis
quam ab illa parte stare ueritatem existimat?
Temere igitur, & non citra calumniam, Scola-
sticorum quorundam uitia, ad santi Thomæ
grauissima scripta, aut in uniuersum ad Scho-
lasticos omnes extendi solent. Quamobrem,
& Apostolica sedes solius Thomæ Doctri-
nam publico edicto probauit, Ecclesiæq; se-
standam tradidit, eiusq; nomen, & auctori-
tatem posteriora Concilia Oecumenica perpe-
tuò uenerata sunt, & parem cuiusvis ueterum
patrum auctoritati fecerunt. Certe in Tri-
dentina Oecumenica Sinodo, quam, cum hæc
scribimus, frequentissimam celebramus, ne-
mo Patrum esse uidetur, cui religio non sit,
cum de fidei dogmatibus agitur, a Thomæ sen-
tentia uel latum ungué recedere, aut ab illa pro-
uocare; ut, & ueteribus Patribus nihil minus
Aquinæ habuerit, & Scholastici omnes Princi-
pem hunc suum receperint modis omnibus
ornatisimum.

Sed & in cassum antiquarii isti Thomæ alu-

nos inuadunt, cum Scholasticos quosdam, in
plerisq; religionis nostræ dogmatibus, errasse
dicunt. Quod nos nequaquam inficiamur.
Durandum siquidem improbamus, cum Do-
minum & Saluatorem nostrum, uera satis-
factione pro nobis, Patri fecisse satis negauit;
& cum satisfactiones sanctorum supererogato-
rias Ecclesiæ Thesauro auferre uidetur; quem
admodum, & cum ait matrimonium christia-
num non esse Ecclesiæ sacramentum pressius,
& proprie sumptum; & cum demum senti-
re quibusdam uidetur, quod mihi planè com-
pertum non est, originale peccatum esse quen-
dam in nobis reatum, ut uocant, magis quam
aliquam culpam. Displacet nobis Gregorius
Ariminensis, ubi opera illa nostra improbat,
quæ pœnarum, & suppliciorum metu agi-
mus; sicut etiam ubi arbitratur, infidelium
præclara omnia, quæ nos etiam suspicimus,
gesta, Domino esse inuisa, & uere peccata; &
cum ancillam Agar cum Sarra in domo Abraæ
rixantem, hoc est cōcupiscentiam, quæ in nobis
est, & rationi, quæ ad optimæ quæq; impellit, &
deprecatur aduersari solet, originalem esse,
quam omnes communi lege contrahimus, cul-
pā: Nec assentiri D. Bonauēturæ possumus. ubi

LIBER

Apostolos instituisse Ecclesiæ nonnulla sacra-
menta, quod uoluisset Lombardum ipse & alii
pleriq; arbitrantur, ut uerba eius non obscura
præseferunt, edocuit. Neq; dubitamus opinio-
nem illam esse omnino explodendā quam Dio-
nysius Cisteriensis, uir quidem, qui non absur-
de interdum meditatur, frustra defendit; nemi-
nem scilicet qui gratia, & charitate, qua nostra
est iustitia, careat, posse aliquod Dei man-
datum, quoad substantiam (ut aiunt) operis dun-
taxat, seruare. Sed & Olchot insignis alioquin
Doctor perniciose, meo iudicio, errat, cum
fidei actum liberum non esse docet. Neq; reci-
pio, quia nec Ecclesia Catholica recipit pro-
delle illis, qui in inferno sunt, Ecclesiæ suffra-
gia, uel ad aliquam suppliciorum mitigatio-
nem, quod Augustinus de Ancona, sub cor-
rectione tamen, & ut ille ait sine præiudicio opi-
natur, uel etiam ad omnem condonationem,
quod & alii quidā Alberto, & D. Thoma anti-
quiores, magniç nominis téporibus illis in scho-
lis putauerunt, & Marcus Ephesinus Episco-
pus pertinaciter, quemadmodum & alia com-
plura minus catholica dogmata, patrum ferme
memoria defendebat. Sed & Adam, cum (refe-
rente Oyta) nihil sibi Dominum nostrum dum

hanc uitam in terris nobiscum uiueret prome
ruisse; & sanctos, qui Deo felicissime fruuntur
in cœlis etiamnum uere nobis mereri afferit,
grauiter hallucinatur . Neque placet quod
Alexander de Ales Doctor alioquin grauis-
simus scribit uberiorem gratiam, maiusq; diui-
næ charitatis incrementum acquirere illum,
qui sub utraq; specie Eucharistiam sumperit,
quam qui sub una duntaxat : Sed & magistri
placita quædam is doctor tuetur, quæ cōmuni
sunt iamdudum consensu explosa , præsertim
ubi de illis loquitur, qui Baptismo Joannis ini-
tiati fuerunt. Nec Franciscus de Maironis reci-
pitur cum de indulgentiarum Thesauro à com-
muni catholicorum consensu recedens edisse-
rit. Reiicitur & Ioannes Scotus, non modo cū
de lumine gloriæ à Thoma recedere creditur,
uerum etiam quando purum hominem Dei
gratia præditum potuisse, Deo de absoluta ta-
men potentia ita uolente, pro peccatis satisface-
re putat: neque enim satisfactionis uim assequ-
tus esse uidetur. Ut alias illius opiniones minus
sobrias consulto præteream, quas uel improba-
uit, uel certe prorsus ignorauit ueneranda Pa-
trum nostrorū antiquitas: ut me impudentiæ,
& leuitatis recentioris cniusdam eius interpre-

tis pudeat, qui Doctorem hunc irreprehensibilem, Doctrināq; eius sanctam, atq; infallibilem, æditis nuper, & diuulgatis in Patauino Gymnasio cōmentariis, appellat: Neglexit planè aureū illud mandatū hoc Silicernium: Nequid nimis. Inde factum est, ut imprudens, quod solius Verbi Dei proprium est, putarit doctrinæ hominis esse tribuendum, quod nemo unquam Catholicus ausus est facere. Nec, ut ego quidem sentio, Ioannes Scotus subtilis, & egregius Doctor, & qui inter classicos merito splendidum locū iamdudū obtinuit, consultus de se ipso aliter respondisset, ac unus Augustinus uerè nō minus, quam modestè de se scriptum reliquit. Negare, inquit, non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tā multis opusculis meis, quæ possunt iusto iudicio, & nulla temeritate culpari. Porro Gulielmi Ochā errores insigniores plures sunt, quam ut eos recensere hoc loco possimus. Et deniq; Magistrū, Scholasticorum omnium Coriphæū, pluribus in locis cōmuniter reiici, Theologiæ nostræ tirū culi etiā norunt. Sed tantū luminis sanctissimus Aquinas habuit, ut nullus insignis auctor extiterit, quamquam acutissimus, illicq; infensissimus; Rabulam enim Parisiensem illum, & indoctos

quosdam obtrectatores, & hæreticos nihil moror, qui docuisse illū ortodoxæ fidei contraria alicubi adnotauerit, uel dogma illius aliquod per Ecclesiam, solemni adhibito iudicio, deinde explosum fuisse, deprehenderit. Ut frustra hos rum errores, cum de Thoma uerba fiunt, com morentur; ille etenim rectus in iis Deo opt. Max. opitulāte perpetuō māsit. Et quod anim aduertere oēs cuperē, antea olim suis pulcherri mis scriptis, extēto ueluti brachio, & tanquam de celso loco clamās, cæteros ne caderēt sub monuerat. Quāquam, quod ad reliquos attinet, nēmo sit, qui ignoret errasse illos humana quādā ibecillitate, & rerum ignoratiōe, atq; oscitātia, quæ uel inuitis obrepere frequēter solet, ante Gymnasiorum cēlurā, Cōciliorumq; & Romanæ sedis iudicium; nō animi elatione, & īprobitate uti hæretici faciunt, qui uel per sui placētiā malā, uel inanē gloriā, uel per cæcitatē, & mālā. s. sententiā, usurpabo Irenei uerba, ab Ecclesia temere, & īpiē recedunt, & præterquām oporet colligunt: Proinde cum uel cōsultō, uel forte fortuna aliquid indocte, & perniciose Hæretici pronunciauerint, nequaquam tueri illud, & propugnare pertinaces, admoniti etiam crebro, desinunt: Malunt enim, inquit Augustinus,

„ Peruersis uocibus ueritati reluctari , quām con
„ fessis erroribus paci restitui: Cōtra uero Scho
lastici omnes uiri laudatissimi scripta omnia
sua , opiniones placita ultrō humilesq; Ecclesiæ
probanda, uel improbanda detulerunt , & nobis
cum semper māserunt, atque eorum iudicium ,
quibus spiritus sanctus ita differere in ecclesia
dederit , ut qui priores loquuti sūt , & de manda
to Pauli sedere , & conticescere debeant , nequa
quām recusant ; existimantes cum Gregorio
„ Nazianzeno satius esse bene uinci , quām relu
„ stante spiritu uincere : Igitur non propterea
quod interdum Scholaſtici turpiter , ut illi uo
lunt , errauerint ; absq; delectu contemnere , aut
illos omnes maledictis proculcare quispiam de
bet . Quædam nanq; eorum uolumina tanquām
splendidissima sidera caliginem , & tenebras hæ
reticorum frequenter discutiunt , & semitas
quibus facili , ac tuto itinere cœlum conscenda
mus catholicis aperiunt , & ostendunt . Etenim
nec ueterum aliquem ita felicem , & beatum
proferre facile fuerit , qui nullibi cæcutierit ,
nullibиue errauerit . Augustinus superius diser
tis uerbis hoc nos edocuit , & Hieronymus ,
quem ego multis nominibus præaliis quāmplu
rimis ueneror , & libentius lego , plus ausus ita
scribit .

scribit. Quis mortalium aliquo errore non tenes-
tur? Quem hæreticorum, & falsorum dogma-
tum uenena non maculant? & cum de Origene
alibi loquitur, propemodum ita. Errauerunt in
fide tam Græci, quam Latini omnes, quorum non
necessè est proferre nomina, ne uideamur non sui
merito, sed aliorum errore defendere: Non hic,
optime Ioannes, Patrum meorum pudenda dete-
gam, quòd facilitare hæretici solent, qui doctos
rum errores non eo quidem consilio recensent,
quo scriptura sancta uitia Patriarcharum expo-
suit, ut nimirum, uti Ambrosius docet, quæ
à nobis cauenda sint ueluti porrecto digito indis-
caret, atque depromeret; sed magis ut expro-
brent, & contemptui tradant; eorumq; auctori-
tatem, qua nostram, hoc est orthodoxam doctri-
nam fortiter confirmare solemus, scelesti, & ne-
quam homines diminuāt. Euicisse satis in præsen-
ti erit, recentiores catholicos, qui multifariam,
Ecclesiam iuuerunt, non ea de causa sane, quòd
à ueritate aliqua interdum oscitanter, ut fit, aber-
rauerint, reiiciendos esse, uel contemnendos.
Nam Hieronymus alicubi Cyprianum, & Hilas-
rium excelsas esse arbores in ædificio Ecclesiæ
at, & alibi scribit. Cypriani opuscula semper in
manu teneat: Athanasii, Epistolas, & Hilarii li-

L I B E R

bros in offenso decurrat pede : quamuis in omnibus nequaquam sibi Hilarius , & Cyprianus , quemadmodum neque Ecclesiæ , probarentur . His addo esse Scolasticos diligentissimos , non modo in haereticorum impuris blasphemias , & perniciosis dogmatibus iam detegendis , atque etiam confodiendis : quam ob causam graui- ter eos haeretici metuunt , & acri odio inse- quuntur : uerum etiam quod in scriptis catho- licorum aut in eruditum , aut minus sobrium ui- derint explodendo , necnon ubi opus fuerit , ra- tionibus improbando : ut Rem publicam chri- stianam si non in omnibus singuli , planè in plu- ribus omnes illustrasse , & iuuisse cognoscantur .

Sed quorsum hæc rogo? neque enim Schola- sticorum omnium causam defendendam hoc lo- co suscepi , sed eorum Principis . D . Thomæ dun taxat . Nam breui quadam apologia , & ni fallor christiano homine non indigna , Scholasticorum obtrectatoribus tunc respondi , cum amplissimi Senatus Veneti iussu , in Patauino Gymnasio Theologiam publice interpretari , decem ferè ab hinc annos inciperem : quæ etiam paulopost emis- sa fuit : ex ea plura desumere quiuis pro arbitrio poterit in Scholasticæ doctrinæ propugnatione .

Cæterum egregiè hallucinantur, qui de Thomæ monumentis detrahi quidpiam censem, quod celeberrimi pleriqꝫ doctores ea oppugnare videantur; ut enim Philosophia, teste Boetio, traditione professorum creuit, ita Doctrina præstantissima Doctoris huius magnorum virorum oppugnationibus, atque contrarietate solidior, nitidior, & augustior in dies multo magis effeta est: Non potuit fulgentissimus Sol, Sophismatum, & argumentorum nebulis obscurari: Non potuit eminentissima hæc, & adeo sapienter exstructa turris, turbinibus uentorum uel euerti uel concuti: Pugnarunt pro Thoma Aegidius, Herueus, Ioannes Capreolus, Thomas Cajetanus, & alii quamplurimi doctissimi viri, qui ex uberrimo eius fonte largius præ reliquis antea biberant, atque ex eiusdem Schola, tanquam ex equo Troiano milites fortissimi, prodierant, qui omnes id etiam magna cum laude præstant, ut D. Thomæ uerbis aduersariorum arietes, & cuniculos euertant, & frangant. Ac quemadmodum negligentia, & inciuitatis redargui oppugnatores possunt, quod nō perspetua tota lege iudicauerint, ita eminentis, & plane angelicæ doctrinæ Aquinas laudari, quod multo antea præuisa aduersariorū spicula aut eluserit,

aut declinauerit, aut certe in eos contorserit. At qui nec sacris literis, Dei oraculis defuerunt op-
pugnatores, & contradictores in genio excellenti
prædicti, in linguis egregie docti, oratores exi-
mii, & scientiarum omnium Panoplia, ut magis
mireris, instructi; quales fuisse Celsum, Ibanium,
Maximum, Porphyrium, Julianum monumentis
Ecclesiasticis pluribus proditum est; ut haereticos
omittam, qui discerpere illas magis, quam oppu-
gnare uoluisse dici merentur. An itaque de eorum
sanctitate, & numine quidquā detractū fuisse pro-
pterea arbitrabimur? minime certe. Ergo seruus
fidelis, qui Domino suo nec maior, nec felicior es-
se debuit, accusandus propterea non est, aut mi-
noris existimādus, quod celebres uiri ab illius sen-
tentia quandoque recesserint: Qui profecto, & si
Thomæ non in omnibus subscripterunt, non per
omnia cum eo opinantur, non tamen inter se se
ubique consentiunt; quinimo acrius, & pertinacius
inuicem in umbratili campo literarum pugnant:
ut quod Hilarius dixit. Bellum haereticorum esse
pacem Ecclesia: nos horum doctorum bellum
Thomæ uictoriā censere possumus. Siquidē eo-
rum complures semper stare à Thoma, fortiterque
eundem propugnare, & tueri uidemus. Cum
nanque Ioannes Scotus Aquinatis placitum ali-

quod multis armatus Argumentis inuadit , tunc
Ariminensis, Durandus, Henricus, Aureolus pro
Thoma illi obuiam eunt ; & ubi Durandus, uel
Henricus, uel alius quispiam insurgit , ibi Ioan-
nem Scotum , & reliquos confertim fermè , &
agminatim partes Thomæ tueri , & in illius ca-
stris sua sponte militare conspicimus ; solentq
Doctrina illius, tanquam umbone ferreo te&t;, so-
phismatum acutissimas sagittas frangere, aduers-
sariorumq phalanges profligare , & sternere.
Ipse uero Sanctus Doctor interea, tanquam bos las-
sus, ubique fortius pedem figit; ut proinde Ioan-
nes Picus cognomento Phoenix, prudenter sibi,
in respondendo obiectionibus, robur , & fortitu-
dinem Thomæ optauerit .

Verum enimuero si quod eruditii quidam , &
naris, ut aiunt, emundatæ pluribus persuadere co-
nāntur , ueritati consentaneum sit ; clarissimos
inquam doctores, qui nequaquam tenui figmen-
torum caligine uolumina Thomæ obscurare ui-
dēntur sensu, & intelligentia cū illis omnino con-
uenire: quid putas Criticos nostros dicturos esse?
Nam Ioannem Scotum uirum in disputādo acer-
rimum , & quem crebro' , & non dissimulanter
in Thomæ placita inuehi pleriq; omnes credunt,
Idem Ioannes Picus uerbis tantummodo , non

LIBER

rebus, aut sententia discrepare ab illo olim dis-
cebat. quod ego uerum esse plerisq; in locis ne-
quaquam dubito. Quamobrem, & eorum cons-
ciliationem, atque concordiam orbis exhibitu-
rum, uita modo fuisse comes, certo certius polli-
cebatur. At uero, ut cūq; res fuerit, ego pro mea
in Scotum, Durandum, Ariminensem, Henricū,
& Clasicos alios uiros pietate, & reuerentia ita
de illis existimo, quod suam rogati sententiam, sic
D. Thomam, quemadmodum olim Hieronymus
„ Augustinū, alloquerentur : Nos inter nos erudi-
„ tionis causa disserimus, cæterum æmuli, & maxi-
„ me hæretici, si diuersas inter nos sententias uide-
„ rent, de animi calumniabuntur rancore descende-
„ re, nobis autem decretum est te amare, suscipe-
„ re, colere, mirari. Et ego quidem, sic sentio; quod
si Critici ulterius mihi esse molesti pergent, re-
spondebo profecto, ut auctorem aliquem ita bea-
tum, & felicem antiquioribus, uel recentioribus
seculis fuisse nobis ostendant, qui omnibus omni-
no placuerit, & herbam ultrò illis, ut dicitur,
porrigemus. Homerus, quem fontem ingenios-
rum Græciæ Plinius, eruditissimis omnes merito
nuncupant, obtrectatorem Zoilum deuitare ne-
quaquam potuit; & Naturæ, quæ inculpatissi-
ma est, accusator Momus non defuit; & Patriar-

charum puteos, quos illi eximia charitate ducti sedulo` nobis effodere conabantur, Philisteis, hoc est hæreticis, nulla religio unquam fuit, nec uenit turis seculis futura aliquando est, aut obstruere, aut certe inquinare; & mirabimur plerosq; bellum intulisse Aquinati? Pulchre proinde in proverbio fertur. Ut nullum est corpus sine umbra, ita nec ullum præclarū monumentū absq; liuore. Hieronymus quoq; belle ait. Ars nulla est sine æmulis. Sic figulus figulo, fabro faber iuidet alter. Iquit Hesiodus, & si illū Nazianzenus nō laudat.

Sententias iam uero illas delectas, quas articulos Parisienses in scholis uocant, Picus ille nequam transire Alpes dicebat, & si uerū amamus, recentes eius academiæ Doctores, quædā nō usq; adeo christiano reliquo orbi probata, & cū antiquiorū magistrorū decretis minime cōsentanea, nō modo nuper receperunt: uernm etiam eos, qui in illa ad graduū fastigia promoueri uoluerint, adhibito iuramento recipere cogunt. Quanquam præterea articuli, quos refractarii nostri crebro commemorant, doctrinam hanc minime improbat, uti copiose nō minus, quam luculenter alii plerique non obscuri scriptores, suis in locis ostendunt; nec in prælenti nobis citra rustici at is cuiusdam notam obiici possunt. Cum enim

L I B E R

à Stephano illius præclaræ uniuersitatis Cancella
rio, & Parisiorum Episcopo in ueritatis gratiam
reuocati, & penitus antiquati iam dudum fuerint;
Et cum Apostolica sedes, & catholicus orbis reli
quus tanquam senatus consulto Thomæ doctri
nam comprobauerint, & receperint. Quid est ro
go, cur aut Parisiensium Placita illa, uel articuli
nobis rursus obiiciantur? aut qui in illam pu
gnant, quasi uniuersitatis illius præsidio freti, recc
ptui canere nolint? Certe Orbis maior est Vrbe.

Neque etiam improbare, ac uertere uitio Do
ctori præstantissimo quispiam debet, si eisdem de
rebus in quamplurimis locis suorum monumen
torum accuratissime uerba facit. Si nanq; quod
,, gloriose dicitur, D. Ambrosio teste, sape repe
tendum est; & musicos crebro nostra sponte ro
gamus, ut cantilenas, quæ oblectauerint secun
dò, & tertio repetere non grauentur; quomodo
patri sanctissimo, qui gloria tantum, quicq;
optima ubiq; meditatur, & docet, nō magis mul
tas gratias referemus? nō eius conatibus fauebi
mus? quod eadem in utilitatem, & profectum no
strum frequenter edisserat? Adhæc, uti Augusti
nus prudenter animaduertit, non omnia, quæ ab
omnibus conscribuntur, in omnium manus deu
niunt; Nec, ut ego quidem sentio, omnia, quæ
ab

ab uno eodemq; auctore polygrapho præsertim,
atque facundo , qualis hic noster est. Quam-
obrem, ut expedire uehementer ille, cæteriq; cum
eo sapientes uiri existimant, plura à pluribus eis-
dem quoq; de rebus & quæstionibus codices edi,
ita, ab uno eodemq; scriptae adē repeti, modo pru-
denter id fiat, eximiæ' cuidam in républicā nostrā
charitati adscribere studiosi oēs debemus: Nanq;
& Plato inquit, non nocere bis dicere, quòd bene
dicitur . Rursum cum uariis, ualidisq; de causis
uolumina multa Thomas elaborauerit, omnino
facere non potuit , cum proposita instituta per-
ficeret uoluisset, quin eadem argumenta, eisdemq;
subiectas materias sāpe tractaret . Quod etiam
uiderat anteriores illos omnes factitasse , qui
eiusdem generis plura uolumina ediderant .
Nec tamen omnes eadem exacte ubiq; tractant,
non eodem stilo , nec pari facundia , aut dicendi
arte. Quapropter ut sunt uaria hominum inge-
nia, atque iudicia, uarium quoq; , & diuersum, de
eiusdem auctoris scriptis, crebro iudicium pro-
dit. Quid igitur quæso est, cur in uno Aquinate di-
splicere hæc possint ? neque enim eisdem omni-
no uerborum formulis, quod puerile fuisset, usus
est, neque ad sua comprobanda uel aliena refel-
lenda eisdem prorsus mediis , atque rationibus

LIBER

perpetuō nititur, quod nihilominus ferri poterat,
& Hieronymus, Athanasius, Cyrilus, Hilarius,
Augustinus, grauissimique Theologi alii complu-
res suis in scriptis fecerunt; ut amplitudinē illius,
& cœlestium thesaurorū cornucopias a Deo il-
li collatas agnoscere, & uenerari sic quoque liceat.
Ad hæc uti uno in uolumine pauciores rationes
ad rem aliquam uel statuendam, uel explodendā,
quam in alio affert: ita & contractiores, atque fre-
quentius, ut mihi quidem uidetur, efficatores. So-
let enim in Summa Theologiæ subtilius, pressius-
que, & ueluti quibusdam punctis, ea attingere,
quæ in Quæstionibus Disputatis, inque libris cōtra
Gentes, & alibi in lineas quasi, & superficies, cor-
poraq extendit; ut certè non ægre admodum
tria illa differendi genera, quæ Homerum in Vlis-
se, Menelao, & Nestore expressisse quidam scrip-
serunt, in Thomæ uoluminibus miro, & planè di-
uino hominis ingenio expressa reperiamus, ma-
gnificum nimirū, & copiosum in Quæstionibus
Disputatis, in Sententiis, atque in libris aduersus
Gentes; subtile, & strictum in Summa, & Miscella-
neis, quæ Quodlibeta uocātur; mixtum, & mode-
ratum in commentariis plerisque, & nonnullis li-
bellis: Præterea quæ uidentur illæ eadem prorsus
rationes esse, eisdemque niti mediis, ego non uno in

loco esse illas ampliores, & uniuersales magis,
quam in alio animaduerti, & edocui; quod fecisse
Aristotelē in Transphysicis Auerroes quoq; sub-
tiliter olim uidit: Habet itaq; lector, unde nouis
semper, ac recens ad Thomā uolumina, & loca lu-
stranda, inuicemq; conferenda accedere, & proin-
de unde fastidium depellere, si quod falsa imagi-
natio afferat, facile possit.

Cumq; plerique omnes perspicuitatem, & lu-
cem clarissimo huic doctori miro consensu, præ
recentioribus fermē omnibus, tribuant, consentan-
tia est, ut nequaquam illius uitio, sed uel rerum
magnitudine, quas expendit, uel eorum tarditate,
qui legunt obscurus illis esse uideatur. Sic enim
Hieronymus alicubi ait. Obscuritas aut rerū dif-
ficultate, aut magistri imperitia, aut discentis ni-
mia tarditate nascitur. Atqui Thomam fuisse im-
peritum magistrum, nec aduersarii, ut ego plane
arbitror, credunt. Vbiq; etenim arte, methodo,
iudicioq; incredibili progreditur, propriisq;, &
receptis uerbis, quod & Aristoteles monet,
non uero obsoletis, aut omnino nouis, aut im-
propriis utitur; ut lucē ubiq; afferre lectoribus, &
studiosis ī animo habuisse præferat. Et si.n. He-
raclitus, aliiq; præclarri quidā obscuritatē magno
pere cōmēdasse uideātur, quod ut īquit Boetius,

LIBER

„ Arcanorum sit fida custos, & sapientiae tantum
„ cultores suo colloquio dignatur. Aquinas atta-
men, qui non modo cum Paulo sapientibus, atque
insipientibus debitorem se esse nouerat; uerum
etiam cum Platone, & Aristotele certissimam scie-
bat esse scientis notam posse, ac scire docere; tene-
bras, & obscuritatem omnem non modo à suis,
sed ab aliis quoque multorum doctorum uolumi-
nibus, & scriptis, magno rerum, & uerborum
splendore adhibito, quantum res pati poterant,
semper depulit, ac fugauit. Quamuis rogatus,
nihilominus se ex eorum fuisse numero nequa-
quam negaret, qui cum Augustino scribendo
proficiunt, & proficiendo scribunt; ut si in po-
sterioribus uoluminibus cōmutauit sententiam,
atque, quod ii uolunt, palinodiam aliquando can-
tauit nemo proinde mirari, nemo factum impro-
bare ratione aliqua posit. Quis enim ille tam fe-
lix, tanquam beatus est, qui iuuenis ea omnia no-
rit, quae senex; atque adeo, qui cum Solone non
senescat plurima discens? & ob id si eadem argu-
menta, aut illis cognata, quae iam dudum tra-
ctauerat, multo post tempore rursum expenderit,
non etiā studiorum, & temporis beneficio, a priori
aliqua opinione, & sententia, quam uel suo mar-
te excogitarat, uel auctores alios sequutus, quod

fieri solet, comprobarat, non inquam interdum re-
cesserit? Non ne duodecim sunt horæ diei? Nōne ; ,
& sapientis est mutare propositū? Cunq̄ Leo Pon , ,
tifex dicat. Tunc optime ueritatem defendi, cum , ,
opinio falsa à suis auctoribus improbatur, atque , ,
damnatur. Quid mirum est, si bis, aut ter, in tan-
ta uoluminum copia, neque enim ego s̄apieſ il-
lum id egiſſe animaduerti, abea quam, aliās do-
cuerit sentētia, humilis, et pius Doctor, se accito
recedit? Certē etiā libellum illum, qui de concor-
dia dictorum Thomæ inscribitur, ſectatores eius
fuisse ab eo editum uolunt. Nec tamen minus far-
ta, & recta quoq; eius auctoritas manere prorsus
deberet, si fœtus Germanus Thomæ id opus eſſet;
utpote eius ; qui Augustinū Doctorē eximiū, &
Ven. Bedam (ut Pium secundū Pont. maximum
& alios quosdam præteream) ſequutus imprimis
fuifſet. Sed & Ioannis Scoti interpretes nulla in-
re magis laborant, qua'm ut eum ſibimet ipſi con-
ciliens. Vbi, n. ueritas Heracliti antro detruſa, aut
Democriti puto demerſa tenetur, hoc eſt non
dū illuſtris omnino prodiit ; licuit profecto ſem-
per, atque licebit inquirere, ſcrutari & propon-
dere argumentorum, proq; maiori diuini numi-
nis afflatu, prioribus ſcriptis addere, demere, com-
mutare, melioremq̄ proferre ſententiam. Scripsit

LIBER

bis in Abdiam Prophetam Hieronymus, Psalteriū
rumq; uon semel Latinum fecit, certe, ni ego
hallucinor, ut priora scripta, posterioribus enueni-
daret: Et Gregorio Nazianzeno alibi scribit. Ma-
ximum, quod nonnulli nequaquam recipiebant,
& laudare, & uituperare eundē pro tempore licui-
se. Quanquam præterea, si uerum amamus, dissen-
tire Doctores à se ipsis, sanctumq; Thomam præ-
cipue, ubi consentiunt maxime, crebro ignavia no-
stra putamus, qui nec illorum uerba percipimus,
nec sensum tenemus; sed, proh pudor, ad pauca
respicientes proferimus: Ad hæc ego alibi mul-
tis argumentis, & nisi uehementer fallor, ad per-
suadendum aptis, ostendo consueuisse non raro
Doctorem hunc, ubi orthodoxam Ecclesiæ fidem
integram, & inuiolatam manere prudens animad-
uertit, si unam perinde atque alteram de re ali-
qua opinionem quisquam tenuerit, utrāque suis
scriptis sequi, atque docere; unam equidem prio-
re, reliquam posteriore à se uolumine edito. Quā
obrem fit, ut si illius discipulis, & alumnis fermè
omnibus tutior, & ex eius animo illa magis esse ui-
deatur, quam posteriorib. suis scriptis, præsertim
in Theologiæ Summa, quam testamentum illius
uocant, edocet; mihi nihilominus longe aliena

meris sit, & neque paucis, neque leuibus rationibus ductus, constanter censem, alterutram qui sequutus fuerit, ab illius sententia non discrepare. Evidet D. Augustinus, quem Thomas liberter sequi, & ad unguem quod aiunt, exprimere solet, & Plato Philosophorum Princeps eundem morem in suis præclaris uoluminibus crebro servarunt. Igitur quod ingenio, & arte à magnis auctoribus ad doctrinæ uarietatem, & ubertatem ostendendam, & laudem acquirendam factum aliquando est, in rebus nimirum, ubi rationes, & argumenta magni ponderis utrinque esse uidentur, nec satis dilucide, à qua parte ueritas esset, tunc temporis cerni potuit, imperiti, & oscitantes homines contradictionem esse existimant, & ad calumniam trahunt.

At uero cum Patres illi Antiquiores fermè omnes copiosi admodum, & acres in dicendo sint, excessibusque, & figuratis eloquutionibus, quemadmodum & oratores profani reliqui, quod eorum illa ætas ita exigebat, passim utantur, Sanctusq; Thomas, breuis, purus, & omnino didascalicus incedat; mirum non est, si non ita eius scriptis, quemadmodum ueterum illorum præclaris monumentis, commouemur, & excitamur: Hic diligentius do-

LIBER

cet, illi felicius mouet; fines diuersi sunt. Quaque si eorum quoque certa rationem haberemus, quae de Deo, de Christo domino nostro, de Angelis, de beatitudine, deque aliis plerisque rebus disseruit, non pro eorum dignitate tam, sed etiam pro modo illo tractandi, & explicandi, quo Aquinas perpetuo usus est (nusquam enim frigide, sed ardentib[us] ubique de illis tractat) profecto diuini caloris igniculis quibusdam nos calefieri, & sagittis potentis acutis corda nostra uulnerati sapuero experiremur. Verba etenim eius omnia anima languentis medicinam habent. Sed ita excellit hac in parte inter Scholasticos, fateor uolens, ac lubens, S. Bonaventura in opusculis; ut cum ueterum quoquis conferri, multis uero preferri, circa eorum iniuriam possit. Quippe eius. Itinerarium mentis in Deum iure, ac merito a' Cancellario Gersone, eximiis laudibus effertur. Sed & ego recentiorum quibusdam libellis, in primis uero Laurentii Iustiniani Venetiarum Protopatriarchae, & Bartholomei Vincetini ordinis nostri, & eius ciuitatis quondam Episcopi, mirifice commoueri me, & ita ad bene beataque uiuendum impelli sentio, ut nusquam magis; atque propterea agre admodum fero Vincentini libellos occulatur, & a studiosis non legi. Habent enim non solum

lum

lum incipientes, atque proficientes unde felicis promoueantur, sed perfecti quoque unde eximiam spiritus oblationem, ingēscō robur accipient.

Dōlet autē mihi, & uehementer quidem, nō solū Anonymum illum nebulonem Parisensem, cuius superius inuiti meminimus: sed & Gersonem, atque alios complures viros pios, & egregie doctos, quorum nonnulli nunc etiam uiuunt, in S. Thomam, ceterosq; classicos ita commoueri, quo'd & philosophorum doctrinis non modo perdiscendis dilucidandisq; ac interpretandis, sed etiam alios edocendis diligentiorē operam nauauerint; & frequentiores, atque prolixiores, cum Christiana dogmata & sacras literas explicare nituntur, in eisdem afferendis sint. Respondi illis olim copiosius in Apologia, nunc pauca quādam addere ultrō cōstitui, ut eos, si fieri potest, deliniam: dixisse enim Aristotelem perhibent: Si crebrō iacias, quādoque feries: Et primum ostendere non laborabo, quantum præsidii philosophiæ studia sacris intelligendis literis afferant: id enim eruditī quāplurimi copiosē, & diserte multis ante hac egerūt, nosq; hoc onere subleuarunt: sed de mōstrabo in præsenti duntaxat, id egiſſe S. Do

ctorem nostrum, quem isti accusant, quod alios
illustres, & sanctissimos patres factitasse literar
rum monumentis proditum est. Nam cum ui
ta Sanctorum, ut D. Ambrosius monet, cæte
ris norma uiuendi sit: immerito plane unus
Aquina's, & cæteri cum eo Scholastici patres ea
de re uapulant, & male apud sanctorum scri
pturarum studiosos audiunt. Ergo, ut Abra
mum, quo sanctiorem artas illa neminem uidit,
qui Phænices, atque Aegyptios ingenuas, ac li
berales plerasq; artes edocuit, & illius pronepo
tem sanctissimum Iosephum, & deinde legisla
torem Moysem omittamus, qui Aegyptiorū
disciplinas, & scientias, quæ testibus celeberrī
mis uiris, uariæ, & præstantissimæ erant, insigni
ter caluerunt; ad Ecclesiasticos patres nonnul
los ueniam, imprimisq; ad Origenem, quem Ec
clesiarum magistrum Hieronymus uocat: de
quo, quātum instituto nostro attinet, Nicepho
” rus post Eusebium ita scribit. Et quos idoneos
” esse ad Mathematicas disciplinas percipiendas
” uidebat, eos ad Geometriam, Arithmeticam,
” aliasq; liberales artes perducebat, insuper autē
” & ad Philosophorum sectas cognoscendas in
” struebat, dogmata eorum illis exponēs, & com
” mentarios in res quasuis addēs, ita ut apud Phi

Iosophos magnus quoque haberetur: quod si „
qui esset paulo rudiores, eos artes Cyclicas edo „
cebat, magnam inde utilitatem comparari ad „
sacrarum disciplinarum doctrinam perhibens. „
Hæc Nycephorus, qui & Heraclami Alexandri „
num Episcopum, virum summa sanctitate mo „
rum ornatum, sermone disertissimum, & doctri „
na excellenti præditum illud idem munus dein „
ceps præstisſe testatur. Atqui & Hierony „
mus nobilium pueros sibi commisso in Poeta „
rum, ac Rhetorum libris instituebat, atque cum „
id ei Ruffinus imperite obiecisset, nec responsio „
ne quidem aliqua vir sanctissimus, & grauissi „
mus dignatus est hominæ. Gregorius vero Na „
zianzenus le Athenis multos annos cum Ma „
gno Basilio eisdē præclaris Philosophiæ, & O „
ratoriæ facultatis studiis operam dedisse, proba „
tissimosq; eo tempore Sophistas audisse recen „
set. Quod Chrysostomus de se quoq;, & altero „
(ut opinor) Basilio idem fermè scriptum reli „
quit. Sed consultò cæteros quosq; sanctissimos „
uiros, & eminentis in Ecclesia nominis præteri „
bo, ne ligna in syluam attulisse hoc loco ui „
dear, qui omnes eò labores suos, & studia hu „
iusmodi retulerunt, ut Gentilium, cæterorumq; „
hostium nostrorum improbitatem, & inania

L I B E R

in Christianam pietatem argumenta felicius
retunderent, nostraq; ubi oportuisset, fortius
defenderent: Stude sapientia filii mi, inquit scri-
ptura, & latifica cor meum, ut possis respon-
dere exprobranti sermonem: quod & uiua uo-
ce, & æditis uoluminibus illi quidem iam dudū,
Aquinas uero noster postea accuratissime, &
egregia cum laude fecerunt.

Sed mille enses, milleq; Clypeos Turris no-
stri Dauidis, inquiunt habet, ut illis Christi mili-
tes armati, ac instructi, & eam fortiter tueri, &
profligare insanientes hostes gloriose possint.
Nō repugno, uerum cū prudentissimus Dauid
blasphemum hominem, & Israelitici populi fe-
rocissimum hostem summa omnium cum ad-
miratione peremisset, ensem unā cum reliquis
armis in eam gratiam in templo appendit: ut fa-
cinus præstantissimum id, atque præclara uicto-
ria, quam auctori Deo acceptam referebat, nul-
lo unquam tempore traderetur obliuioni: ac
sui exemplo Hæbraeos milites cohortaretur, ut
in inimicos suis eorum etiam armis animaduer-
tere futuris temporibus fortiter conarentur.
Sed cum præterea refractarii in explicandis sa-
cris literis, Theologiaeq; sanctis arcanis eisdem
genitilium præsidiis D. Thomam uti non debuist

se contendunt: quanquam Origenem sequi videantur, qui fertur, absurdum fore putasse profanarum literarum eruditionem cum sancta commiscere doctrina: ignorare se facile ostendunt. Priscos illos Theologos, Origene ipso (quando haec eius esset sententia, quod tamen Thomae Vualdési nequaquam uidetur) sanctioris in Ecclesia nominis, suis libris Platonem, Varonem, Ciceronem, hisque affines Poetas, Rethores, & Historicos ad multorum usque querimonias ostentasse; quemadmodum & Thomas, atque ceteri recentiores Aristotelis, Auerois, Auisennæ, ceterorumque Peripateticorum, qui maximo nunc in prætio habentur, Philosophiam ad admirationem usque sectantur. Enumerat quodam in loco Hieronymus se antequiores complures, & confessim subdit. Qui omnes in tantum Philosophorum doctrinis, atque sententiis suos refaciunt libros, ut necias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam scripturarum. & paulo inferius. Nec statim prava opinione fallaris, contra Gentes hoc esse licitum, in aliis disputationibus dissimulandum, quia penè omnes omnium libri, exceptis his, qui cum Epicuro literas non didicerunt, eruditionis doctrinæ

LIBERI

ñæq; plenissimi sunt. Augustinus quoque cum
Hieronymo non modo cōsentit, quinetiam ad
ea studia nos ita adhortatur : Philosophi
ait, qui uocantur, si qua forte uera, & fi-
dei nostræ accommoda dixerunt, maxime
Platonici, non solum formidanda non sunt,
sed ab eis etiam tanquam iniustis possessori-
bus in nostrum usum uendicanda sunt. &
paulo post. Nam quid aliud fecerunt mul-
ti boni fideles nostri? nonne aspicimus quan-
to auro, & argento, & ueste suffarcina-
tus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor sua
uissimus, & martyr beatissimus? quanto La-
ctantius? quanto Victorinus, Optatus, Hila-
rius? ut de uiuis taceam: quanto innumerabi-
les Græci? & alia plura persequitur, quæ lecto-
ribus obuia & trita ferme cum sint, omitti con-
sultò possunt. Eruditæ Lactantio succensent, &
merito quidem, quod Philosophiam omnem
abiiciendam esse uoluerit: Nā & Palladius Hel-
lenopolitanus Episcopus Euangelicam illā pa-
rabolam, qua regnum cœlorum simile fit scri-
bæ docto, qui profert de Thesauro suo noua, et
uetera, ita alicubi interpretatus est: ut uetera il-
la humanæ sapientiæ disciplinas, noua autem

Sancti spiritus eloquia Dominus intellexerit. Et Hieronymus Libellum quendam de spiritu sancto inscriptum (qui uel Ambrosii fuerit, ut Ruffinus putat, uel alterius auctoris in præsenti non admodum refert) sic eleuat, & paruipendit, quo'd nihil in eo Dialecticum uiderit, nihil uirile, atque districtum, quod Lectorem in assensum trahere possit. ut, grauis simorum hominum iudicio, legitimus Dialectices, cæterarumq; artium, quæ ingenuæ, & liberales paßim dicuntur, usus coargui, & improbari nequaquam possit. Cogitandum præterea aduersariis esset sacras literas Dei oracula non omnia promere ; nec illa omnia explicare, quæ uel in usum hominum ueniunt, uel cogitatione exquiri solent ; quamobrem, ubi earum auctoritas nobis deficit, Naturæ conditionem cum sequimur, haud aberramus . Quid igitur fecit Aquinas ? quid peccauit ? quid commeruit ? cum uirili, & generoso ingenio Naturam Religioni inseruire compulit ? cum ancillas Dominae suæ suppetias ferre coegit ? in eam nimirum gratiam, ut absurdisima illa arcana, & ipse nobis luculentius explicaret, & nos eo præceptore facilius

L I B E R

perciperemus? Loquitur de natura in sanctis
literis Deus, humanoꝝ more tropis, similitudi-
nibusꝝ, ac rebus nobis cognatis, & familiarib.
ſæpe utitur, eisdē profectō de causis, quas pau-
lo ante commemorauimus: & Thomam aut
uituperabimus, aut coarguemus, qui, ut facile,
tutoꝝ itinere in Dei contemplationem, & ad-
mirationem homines duceret, Philosophiam
cum Theologia, humanas artes cum diuinorū
contemplatione commiscet. Atqui per belle
admodum hic antiquarii inquiunt, uinum quod
mixtum est aqua eximius quidā prophæta dā-
nat. Et nos quoq; amici aquam illam prophe-
tæ, quæ hareticorum doctrina est, pernicioſa-
rumꝝ opinionum persuasio, cum orthodoxæ
fidei dogmatibus, quæ egregia uina sunt, cum
miscetur, omnino improbamus, & execramur:
Ea enim aqua in uinum non transit; Quinetiam
aqua proprietates, cum uino quoque misce-
tur, retinet: sed Doctor is noster philosophiæ
bonarumꝝ artium aquam piis omnibus, exem-
pli Domini in nuptiis, in uinum bonum, hoc est
in gloriam Dei, in animarum emolumentum,
& salutem conuertit: & quemadmodum olim
Moses tenebris Aegyptiis, et ipſe infidelibus,
& impiis in sanguinem mutat. Quanquam præ
terea

terea amici nostri cogitare debuerant, Sapiens
tiam ipsam id uinum, quod nobis propinat, se
misuisse interdum fateri.

Quod si Philosophiam hanc Thomæ uitu-
perant, quod non Platonis sit, qui cæteris Phi-
losophis proprius ad Christianā pietatē suis pla-
eitis accessisse Patribus nostris uisus est, quē &
propterea sectabantur, sed Aristotelis magis:
respondebo obseruasse me, Aquinatem nullibi,
quod Aristotelis doctrinis exactissime fuerit
eruditus, eisq; in docendo ita frequenter usus
sit, uel paradoxa, uel absurdas, falsasq; de reli-
gione sententias in Ecclesiam inuexisse, quin-
imo, tanquam sapientissimum proretam, eas
Philosophi huius opiniones, atque decreta, quæ
nostræ aduersari pietati interdum animaduer-
tit, ueluti eminentes, & conspicuos scopulos
deuitasse, cæterisq; deuitandos indicasse, atque
miro quodam ingenii acumine, & felici dexte-
ritate, & quæ ambigua esse uidentur commo-
de, pie interpretari consueuisse: contra uero
antiquorū quosdā celebrioris in Republ. nostra
nominis, quod Platonicorum haud raro sane,
Philosophiam impensis sectarentur, & errasse
locis quamplurimis, & non ita diligenter, ac
limite atque oportuisset, frequenter edocuisse.

K

Adducā in medium unius, atque alterius exempla aliquot, ne antiquarii me temere loqui putent. Gregorius Nyssenus Magni Basilii Frater Platonem sequutus, humanam animam esse corporis entelechiam, quod Aristoteles recte uoluit, constanter negavit; quod si qui omnino inde censeret, morti illam cum corpore obnoxiam fore. Huius sententiā conciliū Vienense, & Lateranense postremum communibus decretis iampridem damnarunt. Origenes autem, & Basilius, atque Michael Psellus, & alii Platonicorum alumni quidam Angelos, & Codæmones corporeos esse senserunt. Quam opinionem & si, dum sacras literas Cardinalis Caietanus suis commentariis interpretaretur, sequutus sit; ego tamen multis validissimis argumentis, & rationibus improbari, & explodi posse non dubito. Porro Augustinus cum lucem tenere primum locum in corporalibus dicit; nosq[ue] bonos esse bonitate Dei; anima vero nostrâ absq[ue] corpore nonnulla sentire; duo fuisse Deum quorum alterum forma praeditum sit, reliquum autem informe; & eiusmodi alia quædâ, sic eū Aquinas pro sua in illum reverentia, & pietate tractat, ut alicubi acute eleuet, alicubi amanter desflectat, alicubi demum, quod

Platonicos sequutus ea dixerit, excuset. Quod etiam erga Tertullianum egisse eundem Augustinum; atque Hieronymum erga Millennarios interdum uidemus.

Cum uero tardos homines quosdam, & plene rudes, & hebetes uocare Thomam nostrum curiosum audio, & illius lucubrations ea de causa uel despicere uel uituperare, ea mihi Hieronymi uerba confessim uenire in metem solent. Sunt edentuli, cum ait, qui uescentiū dentibus induerint, & Talpæ, quæ Caprearū oculos contenerunt. Nam si curiosus ille dici meretur, qui, ut inquit Anselmus, ea scire aut scrutari desiderat, quorum nulla utilitas est, nullum comodum, nullum uerum beneficium: grauis impostura est, & manifesta calamia, Doctorem sanctissimum hunc curiosum uocare. Ea enim scrutatur ubique, ac iis totus constanter incubit, quibus summa nobis utilitas, ingens comodum, & maximum beneficium obueniat. Neque enim quod sacerdotibus suæ tèpestatis Hieronymus deplorans obiiciebat, Thomæ obiicere quisquam potest: quod nimis dumissis euageliis, & prophetis, comedias legeret, amatoriaque Bucolicorum uersuum uerba cantaret: Nec quod Augustinus in Philosophos non minus eleganter, quam uere scribit. Sunt, dicens, qui

K ii

LIBER

desertis uirtutibus, & nescientes quis sit Do-
minus, & quanta sit maiestas semper eodem
modo manentis Naturæ, magnum aliquid se
agere putant, si uniuersam illam corporis mo-
lem, quam mundum nuncupamus, curiosissi-
me intentissimeq; perquirant: unde, & tanta
superbia gignitur, ut in ipso cœlo, de quo sæpe
disputant, sibimet habitare uideantur. Profe-
cto illud & cœleste, & uerè interius sacrarium,
à quo diuina lege arcemur omnes, non nisi san-
ctis scripturis, & diuinis traditionibus Ducibus.
Thomas ingredi solet: nunquam inanibus, ue-
titisq; demonum adiumentis in conquirendis
liberalibus disciplinis, quod perdit homines
facere solent, quodq; ipse gratissimis uerbis læ-
penumero insectatur; quin potius diuinis sem-
per præsidiis, præcibus uidelicet, & castissimis
obsequiis usus est: sicut nec eorum quidpiam,
quaæ officii, & prouinciarum iure, quam admini-
strabat, soluere tenebatur, aut segniter egit, aut
ullo unquam tempore prætermisit: demumq;
Deo gratissimus, credita sibi talenta multa
cum humilitate, eximiaq; in illum charitate ul-
tro, & incessanter in Ecclesiæ utilitatem expos-
suit: & curiosum eum leuissimi, & imperitissi-
mi homines appellabunt? Sed altiora illa Arca

na, inquiunt nonnulli, referauit Aquinas, quæ silentio, & humilitate adorare debuerat; quam obrem & Icari, Phaethontisq; casus alius quidam procaciter satis commemorat. Vide frater ne arcana illa altiora tibi duntaxat sint, non vero Thomæ, qui liberalium omnium, & ingenuarum disciplinarum præclara cognitione diues, sanctoq; spiritu copiose perfusus potuit, si alius unquam, prepetibus pennis se se in sublimi sine uitæ dispendio tollere, & absque temeritatis nota cubiculum sponsi ingredi, ut frustra, & inepte Icari, Phaethontisq; funera hoc loco recenseas. Aquilam scribunt aciem alpes etus in solem fortiter figere, pullosq; obtutu eiusmodi tanquam certo arguento num si sint experiri: & Bubones, ac Noctuæ, quod gravissimum diem ferre non possint, eam ob re curiosam illâ, temerariamq; uocabunt? Grandes tractationes ingenia tenuia non tolerant, cū Hieronymo iquiūt, & in ipso conatu ultra vires ausa succumbunt: probo, sed proferant refractarii ubi Aquinas quidpiam tentauerit, quod non felicissimè cōfecerit: exponant, quod onus subire aggressus aliquando sit, quod ferre illius vires, humeriuē recusauerint, assentiriq; confessim illis parati sumus.

L I B E R

Iam uero' quod de partitionibus , & sub partitionibus alii quidam afferunt , ita frigidum , & ineptum , ut dicam quod sentio , mihi esse uidetur , ut refellere plane' pigeat : Nam ut Platonem præteream , qui partitiones primas obtainere in scientiis existimauit ; & Ciceronem , qui eas ubique probat ; & Aristotelem , quē , licet uerbis ab iis recedere uidea tur , re ipsa eorum sententiæ subscribere quam plures uiri , nec indocti , nec in glorii omnino contendint : Auerroes certe , qui divisiones huiusmodi improbat nonnullis uide tur , & si , sua earum natura , non esse in scientiis necessarias dicat , consulere tamen probe tardioribus ingeniosis haud inficiatur . Et quidē id efficit partitionibus illis S. Doctor , ut ea de quibus edisserit percipere , & complecti imperitiores , quos etiam in buendos , & insituendos sumit , facilius possint . Non sunt auditores omnes , uel ad præclarissimas res contemplandas , uel ad præceptiones de moribus retinendas , Hesiodo etiam teste , uno modo idonei , & felices . Itaque quemadmodum cibus cum accurate manditur , & in minutiores partes conteritur , nequaquam

defatigare naturam solet: quin etiam facilius
concoquitur, & digeritur; uitæq; nostræ con-
sulere uulgò etiam creditur: ita propemo-
dum animi nostri sensa, & uerba methodo,
& ordine in suas classes, & loca disposita le-
ctores magno beneficio, me iudice, donant,
auctoresq; ipsas res belle tenuisse declarant.
Cumq; præterea in ipso uoluminis limine, &
vestibulo ostenditur, quām sint omnes argu-
menti partes inuicem dispositæ, & conne-
xæ, sit ut lector non omnino nouus, aut
hospes, sed ueluti diu versatus, & familiaris
uniuersum opus ingrediatur, & lustret. Et
plane non solus Thomas in diuidendis, sub-
diuidendisq; sanctis scripturis, & eorum lus-
cubrationibus, quas suis commentariis expli-
candas sumpsit, accuratus fuisse uidetur: sed
& reliqui etiam omnes eorum temporum cla-
rissimi auctores. Quorum si quis commenta-
rios euoluerit, facile perspiciet illud dissecan-
di, partiendiq; in minutiores partes arti-
ficium (quod iniquè Plato esse boni coqui mu-
nus existimauit, & morosi isti fastidiunt)
eos auctores omnes, ueluti senatus consulto,
teruasse. Quanquam cum lector pulcher-

LIBERI

rimam illam artem, moræ impatiens, ferre non potest; nemo eorum ita austerus sit, ut ego sentio, qui aditum illi confessim ad alia transseundi consultus negaret; ut de eis conqueri propter partitiones illas diligentissimas, nemo studiosus possit.

postremo uero cum Ecclesiæ consuetudo sit illa, quæ doctorum monumentis auctoritatem, & pondus afferre soleant, mirari nemo deberet, si celeberrimos sui temporis auctores, quos isti commemorant, uel ad sua confiranda, uel ad aliena refellenda, comprobandi causa, grauissimus Doctor nunquam adduxit: quamobrem, nec multum magistris Hugoni, Præpositino, Gilberto Porrectano, aliisque non nullis, qui ante Albertum, & Alensem Lutetiam floruerunt, quorumque uolumina accurasissime etiā legit, tribuere solet. Sectatur Aquinas ueteres illos, quibus diuturnus catholiconrum consensus existimationem, & auctoritatem pepererat; nominatimque tanquam testes omni exceptione maiores frequenter profert. Evidem & antiquiores ipsos patres admidum raro, hoc est, cum uel fortioribus rationibus destituerentur, uel probatorum ab Ecclesia testimoniis fulcire sua placita nequivarent,

rent, & quales sibi Doctores in medium proferre uidemus. Melioribus igitur cum niteretur ille argumentis, non tam authores in disputando, quam rationum momenta, quod & consuit Cicero, sectatur, quamobrem frustra eos Doctores quos commemorant, quanquam illustres, ad comprobanda dogmata citasset. Cum uero ab eorum placitis modeste & amice recedit, honoris & reuerentiae ergo, nominibus pepertit. Neque enim eorum nomina contēpsisse credendus est, quod quasi de principatu gloriæ cum eis contenderet, qui mundum muneraq; omnia nihili penderet, aut quia liuore duceretur, qui longo post se interuallo illos se relinquere nouerat. Ergo maligni pectoris hominē, inurbanumq; illum esse existimarim, qui inuidum, aut ambitiosum, amarulentumue innocentissimum hominem hunc fuisse credidit. Quanuis enim sint, qui putent Platonem aemulatione quadam noluisse Xenophontis nomen suis præclaris uoluminibus illustrare; Democritiq; libros oēs, qui innumerri fuisse feruntur, maleuolentia, atque inuidia impulsu comburere uoluissent: Ego quod, indigna mihi nobili, & ingenuo homine; philosophoq; præstansissimo esse uideantur, nunquam in animum in-

L

L I B E R

duxi meum, ut ea reciperem, & uera esse putas
rem : quin potius malos illos esse homines, qui
ista commentarentur, semper existimauit. Solet
,, enim malus (Gregorio Nazianzeo teste) cito
,, contemnere bonum ; at bonus haud facile ma-
,, lum . Quod enim ad malitiam paratum non
,, est, neq; ad suspicionem proclive existit.

Hactenus optime Antistes Criticorum ob-
jectionibus illis , quas commemorauimus , & si
non pro meritorum dignitate huius sanctissi-
mipatris, pro nostra tamen tenuitate abunde sa-
tisfactum censco . Quod si nostra hæc adhuc
minus probabunt, demum cum Hieronymo il-
lis dicemus, Ut bibant uinum uetus cum suaui-
tate, & nostra musta contemnant. Meminerint
uero' non modo puerilis esse iactantiae, accusan-
do illustres uiros, nomini suo famam querere,
ut idem Hieronymus alibi docet; Sed etiam ex-
tra blasphemiam nequaquam esse , eos scripto-
res, qui iam pridem in Ecclesia obierunt contu-
meliis afficere; eorumque uel scripta reiicere, uel
iudicium conculcare , sicut Theotimus Scyta-
rum Episcopus præclare dixisse fertur.

Explicit Liber Primus,

LIBER SECUNDVS.

SAEPENVMERO laudi scriptoribus
 datum fuisse animaduerti, Præsul amplissi-
 me, quod uolumina multa ediderint, solereq;
 posteriores eorum numerum, & indices accu-
 ratissime, & tanquam suorum studiorum cer-
 tissima testimonia proferre. Pomponius iure-
 consultus Seruium Sulpitium prope centum
 & octuaginta uolumina reliquie scribit. Au-
 gustinus autem de Varrone, Scripsit, tam mul-
 ta inquit, quam multa uix quenquam legere po-
 tuisse credam. Quintilianus quoque cum in
 Didymum grammaticum alioquin inuehе-
 tur, quo inquit, nemo plura scripsit. Origenem
 autem, quod referente fama, ut Epiphanius te-
 statur, senamillia librorum edidisset, (quam ta-
 men Hieronymus in Ruffinum, accito Eusebii
 indice, coarguit) patres maiores nostri magno
 pere admirabantur. & Suidas ~~avantinus~~, hoc est,
 compositorem nuncupatum fuisse prodit. at
 que Hieronymus alibi pro eo sic scribit. Mille
 & eo amplius tractatus ædidit, quos ipse To-
 mos appellat. Quis nostrum tanta potest lege-
 re, quanta ille conscripsit? Gennadius uero, cū

L I B E R

de Aug^{ustino} uerba faceret. Tanta, inquit,
,, scripsit quanta nec inueniri possunt. Nice-
phorusq^{ue} cum Ioannem Chrisostomum lau-
,, dat, Ego, ait, supra mille eius lucubratio-
,, nes legi ineffabili quadam suauitate diffluen-
tes: aliaq^{ue} eiusmodi quamplura testimonia pro-
ferrem, nisi obuia illa, & plane in promptu
studiosis omnibus essent. Verum diligentio-
res quoque nonnullos offendit, qui non mo-
do uolumina ipsa, integrasque auctorum su-
periorum lucubrationes indicauerunt: quin
etiam, ut magis mireris, eorum quoque uer-
siculos, & lineas. Imperator Iustinianus anti-
quam iuris prudentiam in duo pen^e millia libro-
rum, & tricies centena millia uersuum fuisse dif-
fusam duobus in locis meminit. Et Nicepho-
rus scribit. Ephrem Virum diuinum trecentas
uersuum myriades cōscripsisse. Hieronymusq^{ue}
Methodium usque ad decem millia: Gregoriū
autem Nazianzenum ad triginta millia opera
omnia sua composuisse. Et qui hos omnes an-
tecessit Origenes, cum de Euangelista Ioanne
,, loqueretur. Reliquit ille, ait, admodum pauco-
,, rum uersuum Epistolam, sed sit eius, & secunda
,, atque etiam tertia, quas non omnes Germa-

nas esse putant, & utraque centum uersus non „
excedit. Igitur si à multitudine, numeroque
scriptorum Aquinatem nostrum laudare
quispiam uellet, latissimus illi campus pate-
ret, cum fecundissimo ingenio tot, ea-
demque ingentia uolumina ædiderit, ut ab-
solutum eorum indicem ægre confidere pos-
sit. Versus uero is tantum dinumerabit,
qui dinumerat multitudinem stellarum, &
plane bibliotecam integrum, & iustum ma-
gis, quam auctorem unum appellare licebit.
Nemo recentiorum, qui intra quingentos
annos in Ecclesia posteros scriptis erudien-
do laborauerunt, plura Thoma uolumina,
& Alberto Magno ex ingenio deprompsit.
Quanquam rapsodias, propemodum innu-
merabiles consarcinasse alios quosdam repe-
riamus: sed eius generis multa ædere non
magnum est. Quodque magnopere admirari
doctissimi uiri solent, cum Polystores, Po-
lygraphicꝝ fermè omnes diutissime uixerint,
Vegeta ac florenti adhuc ætate Aquinas
noster, ex hac uita decessit. Origenes
enim annos undesep tua ginta. Nazian-
zenus supra centesimum. Hieronymus

LIBER

(Si Prospero credamus) uno & nonagesimo Augustinus texto & septuagesimo. Albertus supra octuagesimum hanc uitam uiuere desierunt. Aquinas uero uix Iubileum, hoc est, quin quagesimum annum attigerat (Qua aetate duo bus tantum additis annis, disertissimus Ioannes Chrisostomus, Zonara teste, obierat) cum a' Iustissimo Principe Deo, a seruitute in libertatem, ab exilio in Patriam reuocatus fœliciter fuit. Quod uitæ tempus uix legendis, quos citat auctoribus sufficere potuisse uidetur; ut uel hoc argumento, uerius quam coniectura, dignosci possit. precibus, & uitæ innocentia magis quam studio, uel lectione cornucopias illas, & immensos thesauros Doctrinæ, quos effudit obtinuisse: quemadmodum ipse quoque non ostentationis, sed ueritatis, & Domini erga se munificientiae celebrandæ gratia Reginaldo socio ex eo siscitanti sub sigillo secreti, ut uocat, quos ad ipse uiueret, semel dixisse perhibetur.

Sed qui cæteris Doctoribus quosdam propterea præferunt, quod monumenta plura reliquerint, legem Iuliam seruare mihi uidentur, qua ex consulibus fasces sumendi prius ei potestas fit, qui plures liberos quam collega aut in

sua potestate habeat, aut bello amiserit. Ego ue
rò & si nouerim, omne, quod in recordationem „
Dei erigitur, esse illi acceptum & gratum: atq;
non posse nos dignas pro meritis gratias illis
rependere, qui egregie erga studiosorum répu
blicā affecti fuerint. (Beatos enim propterea scri
ptura eos pronūciat, qui seminant super aquas)
quiq; in ea iuuanda, & promouenda quantūpræ
stare uoluerint, & quam fœcunda habuerint in
genia, quam multas uigilias, & labores in eius
gratiam exantlauerint, multis lucubrationibus,
ueluti multis argumentis declarare uoluerunt:
Existimo tamen eos laudandos magis esse, qui
præstantiora utiliora q; nobis uolumina, quan
quam unum duntaxat, aut alterum quoque re
liquerint, quam qui simpliciter plura. Pulchre,
sane, & sapienter Plato docebat, Philosophari
non esse multa discere: atque Themistius recte
dixit, non qui plura intelligit pluris est, sed qui
potiora: ergo nec qui simpliciter plures conscri
psit codices, sed qui præstantiores hoc est, qui
ad bene beateq; uiuendū fœlicius homines suis
lucubrationibus iuuuerunt pluris cēsendi sunt.
Nam & rerum excellentiam non numero, sed
formis, & uirtutibus dignoscimus: quinimo. Na
tura, ubi commode potest, solet rerum paucita

LIBER

cem multitudini anteferre. Itaque cum mutuo disciplinæ excellant, uel subiecta materia circa quam uersantur, uel efficaciori (hoc est certiori) demonstrandi genere quo utuntur, habitusq; omnes formalibus obiectis secernantur, ab his potius quam a re alia monimētorum dignitas, auctoritasq; sumenda mihi uidetur. Quod si qui utrumque præstiterint, omnino consentio duplii honore dignos esse, maioriq; ueneratio ne eos prosequi nos debere, quam qui alterum duntaxat exhibuerint. Iure igitur Diuum Thomam nostrum nunquam satis laudare, nunquam meritis præconiis attollere possumus. Quippe qui non modo libros fermè innumerabiles ædidit, uerum etiam in illis disciplinis, quibus nihil utilius, nihilq; beatus in omni sciētiaru m apparatu hominibus contingere solet. Librorum autem appellatione omnia uolumina, cum Vulpiano iureconsulto, complector maiora, & minora; chartas, membranas, codices scripta in quancunque materiam corium, ebur, corticem, cäram, paginam, & huiusmodi redacta fuerint, aut exarata. Et ne quis uoces temere me confudisse existimet, eos ego recensere, & generatim in classes arte, & methodo distribue re in præsenti aggredior, eorumq; subiectas materialias

terias, non omnium quidem, nam prolixior es-
sem quam instituti mei ratio postulat, sed eo-
rum duntaxat, qui insigniores habentur, quam
breuissime tanquam in proposita tabula specta-
das proponam: & postremo integrum, & distin-
ctum elenchum fortasse subiiciam.

Principio itaque mihi eius omnia monimē-
ta generatim partienda uidentur, ut alia sacra,
hoc est, quæ de Christiana religione tractent:
alia uero prophana, hoc est, quæ externas Gen-
tilium Philosophorum disciplinas edoceant (ut
negatiue, non contrarie sumenda uox ista sit)
commode, & erudite dicamus. Agam de po-
sterioribus primum, subinde uero de sacris, non
eo consilio equidem, ut cum Massurio Sabino
antiquiorem locum hospiti tribuam quam cli-
enti, sed magis imitatus Naturam, quæ a mi-
nus perfectis ad perfectiora sensim progredi-
tur; & quod doctrinæ ordine antecedant: quan-
quam in scribendo, non eundem ordinem. S.
Doctor fortè seruauit.

Peripatetici Iuniores omne quod est, uel Ra-
tionis esse dixerūt, quod Aristoteles ens in anima
appellat, uel Reale, quod idem ens extra anima
uocat. Quamobrem ingenuæ, & liberales om-
nes disciplinæ a Christiana pietate externæ, cir-

LIBER

ca horum alterutrū occupātur: et quidēquæ cir
ca primum Rationales, quæ circa secundum insi
stunt Reales cōi ueluti decreto iādudum dicun
tur. Rationales plures sunt Grāmatica, s. Rheto
rica, Poësis, & oīum, ut ego sentio, utilior, & præ
stantior Dialectica, hoc est disputatoria, quæ an
tonomasticos propterea Logica nuncupatur.
Reales iam uero nonnullæ quidem in rerum cō
templatione consistunt, quamobrem contem
platiuæ, aliæ actiones nostras probè compone
re, & præclaris moribus nos exornare etiam do
cent, & ob id practicæ, atque Morales uocātur.
Quarum quæ primum addiscendæ iuuenibus
sint, non prorsus Philosophi omnes consentiūt.
Pythagorici nanque, atque Platonici, quibus
Simplicius subscribere non obscure uidetur, in
stituendos in moralibus disciplinis prius esse iu
niiores censem, quām ad ueri disquisitionem, re
rumq; & causarum cognitionem admittantur.
Contra uero alii, quod ad moralia iunior addi
scenda non idoneus esse auditor Aristoteli ui
sus sit, confessim contemplatiuis exercendos il
los esse arbitrantur. Nos alibi controversiam
hanc luculenter explicare conati sumus, nunc il
lam in medio relinquentes, id magis, pro ratione
fūlcepti officii, cū Aristotele dispiciamus, quod

aliud quidē est, quod re, & definitione sensibiliē materiā concernit; cuius contēplationi Philosophus naturalis totus insīstit: aliud aut̄ quod huic ē regione positū est, quod neq; re, neq; definitione huiusmodi materiā cōpletebitur, sed omnino, uel per essentiā, uel per indiferētiā est seiū dū; ad primum, & planē diuinū Philosophū attinet: tertius aut̄, & ueluti inter hæc mediū reputatur, quod quanquā re in materia sensili sit, animo tamen cogitatur, & definitur, perinde ac si ī eiusmodi materia non esset, eaq; tota careret; de quo Geometria, Arithmeticā, & quæ his subalternantur Perspectiua, Musica, & reliquæ omnes Mathematicæ scientiæ tractant.

Sic itaq; uir præstantissime, nobis secerni ex arte priora illa S. Thomæ scripta, & in suas classes recte (hoc est cum Arist. quē ille sequitur) redigi posse uidentur: & primo quidē ea, quæ ad facultatem differendi pertinent, neque enim eius, aliarum, quas recensuimus, Rationalium disciplinarum, quidquām, nisi forte in aliis eius libris positum, uidi; & si Campanus nonnulla cōmemoret: Secundo autē ea, quæ ad Philosophū naturalem: Tertio uero illa omnia, de quibus differere munus diuini Philosophi est, qui & Me

LIBER

taphysicus hac tempestate frequentius nūcupatur. Quarto denique & postremo libri Morales collocari poterunt, quorum equidem, sicut & aliarum classium, quidam explicationes libroru Aristotelis cū sint, alii uero Opuscula dicantur (in quibus qui de regimine Principum inscribitur maxime inter morales eius libellos eminet, & frustra ab Historiae scriptoribus quibusdam recentioribus num D. Thomæ germanus sit in dubium reuocatur) ita mihi eorum corpora cōstitui posse uidentur: ut primum expositiones, confessimq Opuscula illa, quæ cum expositionibus necessitate materiae coniuncta esse existimātur, singulis in Tomis ueluti ad glutinata ponātur. Quamobrem primus Tomus Logicalia, secundus, & tertius Naturalia; qui si plus iusto grandiores euaserint, quartus est illis præterea assignandus, sin autem, quartus Transphysica, ut ita dicam, complectetur; quintus uero Ethicam, Polyticam, Oeconomicam; hisq affinia ut dicebam Opuscula. Atque inde fiet, ut subiecta materia uniuscuiusque Tomi, & classis lectribus ī ipso limine obuia futura sit: & Opusculo rum confusus ille, & impurus codex (nam & eorum Opusculorū nullus est ordo, & pleraq tal

sò S. Thomæ inscribuntur) distinctionem, & lu-
cem, atque adeo meliorem formam sortitus, cō-
cidet: ac denique nec ad gestandum erunt To-
mi ipsi studiosis, quibus prospicimus, incom-
modi.

In explicando uero' Aristotele totus eo' in-
cumbit, ut uerba diligenter consideret, eorum-
que sensa fideliter magis, quam eleganter ex-
primat, & Sepiam illam atramentum crebro' ef-
fundentem, sensimq; fugientem Lynceus ipse,
& prudens Delius uelut inatator insequatur, ap-
prehendat, detineat. Quamobrem hiulca ex-
plet, complicata aperit, confusa distinguit, mu-
tila sarcit; litteram connectit, partitur, distri-
buit; discussisq; ambiguitatum nebulis, quæ
interdum emergere circa textum solent, obscu-
ra quæq;, breuissime quidem, sed attamen ita il-
lustrat; ut expositoris nomen, nemine penitus
dissentiente, obtinuerit. Et cum à Christiana
pietate Aristotelem defletere, eamq; argumen-
tis, ut solet, oppugnare animaduertit; uel forti-
ter in illum pugnat, eius tela retundens; uel cer-
tè commodè, & piè, ubi potest, interpretatur; cū
uidelicet anceps, & ambigua oratio est, & in u-
tranque partem intelligi potest. Siquidem & Iu-

L I B E R

reconsulti dubia interpretanda esse in meliorem partem, hoc est reo fauorabiliorem, monent. Quem si recentiores Philosophiae professores, uel in scholis cum de sugestu docent, uel cum Aristotelem scriptis interpretantur, sequuti fuissent, sanctiorem in plerisque haberet Ecclesia facie; & tot falsis, ac pernitosis opinionibus, ueluti quibusdam furiis erudita iuuentus nostra minime agitaretur. Quod planè uidit, & faciens dum deinde mandauit postrema Lateranensis Synodus. Auerroem quoque, quem ob eximiā eius Doctrinam, & in explicando Aristotele diligentiam iamdudum scholae admirabantur, commentatoremq; etiamnum appellant; cum unitatem intellectus, sequutus Græcos aliquot expositores, statuit, uel creationem oppugnat, uel quidquā promit, quod religioni nostræ officere posse uideatur; ita fœliciter cūm in expositionibus, tūm uero in aliis quibusdam eruditissimis libellis prosternit; ut qui contentione, aut ostētatione ingenii, Auerrois ineptias illas defendas sibi sumperunt, non semel, ueritatis uim sentientes, spicula Thomæ ualidissima in illum esse fassī sint: et cum de intelligentia Aristotelis cum eo Thomas pugnat, pugnat

autem frequenter , ægre ueritatem discerni posse dixerunt . Quapropter rectè affirmavit Viues , dementiam fuisse illam , quæ Auerroem Aristoteli parem , & D. Thoma superiorem fecit .

Primus igitur Latinorum Thomas fuit , qui tot Aristotelis libros suis commentariis eo modo illustrauit : de Interpretatione scilicet , & Posteriorum in Logica facultatè : Physicorum , de Cœlo & Mundo , de Generatione & Corruptione , Metheororum , de Anima , de Sensu & Sensili , de Memoria & Reminiscencia , de Somno & Vigilia in Naturali Philosophia : sed & in ea , quam Aristoteles primam , atque diuinam uocat , duodecim priores Methaphysices libros : nam posteriores duos uel ætas illa latinos non habuit , uel esse adulterinos , ac suppositios , ceu plerique etiam num , credidit : & demum Ethicorum , politicorum , atque Oeconomices libros omnes . Boetius siquidem , atque Linconiensis unius , aut alterius Aristotelis libri interpretes præcesserant : Albertus autem Magnus eius paraphrastem , & sensuum magis , quam uerborum explanatorem egit , quanuis in digressionibus copiosus admodum ,

L I B E R I A.

& sublimis, quemadmodum & Auerroes, emineat. Factumque esse Dei Opt. Max. prouidentia puto, ut Aquinas alia uia progressus (breuiori sanè, & utiliori) Aristotelem, atq; Albertus fecerat, interpretaretur: ut haberet Latini in utroq; interpretandi genere, quos imitarentur principes, Albertum uidelicet, & Thomam. Excellunt autem commentarii, quos in libros de interpretatione, atque de Cœlo & mundo, proiectioris cum esset ætatis, propter multiplicē, & certam rerum cognitionem, longamq; & diutinam exercitationem ædidit: quos, eā ob re, & morte impeditus inabsolutos reliquit. Digidatur. n. in illis frequenter, copiosē, grauiter, per spiculē: Alexandri, Ioannis Grammatici, Simplicii, cæterorumque Græcorum, si qui alii extabant, commentarios (ei latinos redditos ab iis, quos uel Domi, uel foris græcarum literarum peritos alebat) ex ipsis Fontibus nō autem ex Auerrois Lacunis quemadmodum aliis in locis, exhaustit. Nam cum græcas literas ætas illa uel contemneret, uel negligeret, eas Aquinas uel omnino nesciuit, uel leuiter attigit. Quamobrem in explicandis uocibus græcis interdū uel hæret, uel fallitur: ut in principio commentariorum eius de generatione, Insignis Philoſophus

phus, ac Theologus Sixtus Medices præceptor meus paucis lectorem submonuit: & mundi censor Erasmus, in adnotationibus in nouum testamentum, multis uerbis inciuliter traducit: ita enim seuerus, seu potius sœuus in Pleroscq; pios, ac sobrios auctores extitit, ut omnia in unoquoque, numeris omnibus absolutissima, requireret; nec aliquando, aut quod in tergo est manticæ suæ uiderit, aut Homericum dormitare, quod dicitur, pateretur. Atqui maiori cum laude exiguos illos, & leues Aquinatis, & aliorum patrum næuos præteriisset; aut certe tantummodo porrecto indice adnotasset: siquidem ipse utranque professus lingua, easdem adnotationes, deprehensus in errore, septies, aut octies instaurauit; & Vallam, atque Fabrum særissime arguit: ut uel sui, & eorundem literatorum, quos recēsuimus, exemplo Theologis doctissimis uiris parcere debuerit, aut plane mitius cum eis agere.

Itaq; huic incommodo cum uellet mederi Aquinas, magnaç luce ad intelligentiam auctorum carere eos intelligeret, qui a linguis essent destituti, ac inopes; græcæ linguæ eruditos senior consuluit, eorumq; opera in transrendis Theologis, & Philosophis usus frequen-

N

ter est : ut illius incredibilem in exquirenda tue
ritate laborem, & summam industriam ubique a-
gnoscamus.

Porro ut intelligent omnes, quanti illius in
Aristotelem explicationes fecerint praeclaris
Philosophi, qui multis annis, in splendidissimis
Gymnasiorum cathedris interpretates, & suis
commentationibus subinde domi scribentes,
intimos quoque, & penitissimos Aristotelis re-
cessus perscrutari uisi sunt, eorum uerbis ostendere
iam aggredior: & primum Suessanus ita
alicubi scriptum reliquit. Ex his bona litera in
latinos migrarunt, inter quos Thomam Aqui-
natem nostrum inueni ; cui merito iura exponendi
concessa sunt. Hunc habemus non modo in
his Physicis commentationibus, sed in omni-
bus aliis fidum ducem, cui etiam non sine cau-
sa nomen expositoris tributum est. Illo enim (pa-
ce expositorum Græcorum dixerim) curiosior,
aut uberior, aut, quod rarum est, clarior inuen-
tus est nemo. Vnde, meo quidem iudicio, om-
nis Latii, omnisque Philosophia decus semper ha-
bendus est. Sed & alibi ita, ne putas illum mutas-
se sententiam, quam alioqui, Euripus ueluti qui
dam, mutare frequenter solet. Sensum uerborum
Aristotelis uerum, in quantum potero, assigna-

bimus, non recedendo à Græcis expositoribus ;
 Themistio, Simplicio, & Alexandro : aliquan- ;
 do cum latinis interpretibus , præsertim cum ;
 D. Thoma , qui , pace cæterorum dixerim , di- ;
 lucide Aristotelis libros interpretatus est ; nec ;
 eius comentarios minoris facio his , quæ Græci ;
 scripserunt, ut recte intelligenti patet . Petrus ;
 autem Pomponatius hunc in modum. Quapro- ;
 pter opinio recitata D. Thomæ, omnium lati- ;
 norum sententia mea maximi, immo fortas- ;
 sis non minoris aliquo Aristotelis expositore , ;
 siue sit Græcus, siue sit Arabs, siue cuiuscunque ;
 sit, omnibus est præponenda, cum & rationi , & ;
 auctoritatibus concordet . At uero Marcus ;
 Antonius Zimara . Nam ubi est discordia in ;
 Philosophia inter Auerroem , & Thomam dif- ;
 ficle est uidere ueritatem . Addam & Marci ;
 Antonii Flaminii uerba, felicioris sanè futuri, si ;
 a Thomæ Doctrina nusquam recessisset.

In hoc genere apud Græcos floruere in pri- ;
 mis Basilius magnus, & duo Gregorii Nissenus ;
 alter , & alter Nazianzenus ; apud Latinos ;
 multi quidem, sed ante omnes, sine ulla contro- ;
 uersia, Thomas Aquinas, uir sanctitate morum, ;
 & literarum gloria præstantissimus; qui profe- ;
 ctō si disciplinam Aristotelis contemp̄sset , ;

LIBER

„ pulcherrima illa monimenta nobis non reliquiſ
„ ſet, quæ tendentibus ad cognitionem ſapientiæ
„ ſplendidissimum lumen præferunt, atque in fa-
„ crarii rerum Diuinarum abdita, & penetralia
„ tutò, ac facili itinere perducunt. Sebastianus
„ aūt Foxius Morxillus hunc in modum. Addam
„ his D. Thomæ Aquinatis, uiri in primis sanctis
„ ſimi, argumenta, quibus eandem immortalis-
„ tatem tueri, ac penè demonstrare mihi uidetur,

Scripsiffe autem commentationes suas in Aristotelem, dum sub Urbano. I I I. magna cum auditorum frequentia Romæ proſitetur, Ptolomeus Lucensis, qui Neapolii eius auctor, atque a confessionibus extitit, in ſua Historia, quæ & in Vaticano eſt, & apud Cardinalem quoque Vitelium, Virum omni genere laudum ornatissimum, & Iuſtrissimum, prodiſ: Libellos autem, qui de Dialecticis deç Philoſophicis trahant, neque uno loco, neque eodem tempore edidiffe. Nam eorum plerosç cum doctor eſſet, non nullos uero antequam iſignia illi darentur composuit: cuiusmodi fuerunt, omnium ſubtiliſſimi, & pulcherrimi de ente & eſſentia, & de principiis naturæ. quorum priorem uiri grauiſſimi plures Latini, & Græci (nam Græce quoq; redditus eſt) peregregiis

commentariis , & subtilissimis disputationibus
exornarunt . posteriorem ego semper admir-
tus sum , & Philosophiae naturalis librorum,
præsertim autem qui de Physico auditu sunt,
Clauem appellare , cum in scholis profiterer , so-
lebam . utrunq; ferme adolescens uiuacissimo
ingenio , & eruditione incredibili composuit .

Sed iam his enumeraris , ad Theologica eius
monimenta , quæ longe præstantiora , & plus
ra philosophicis sunt , me conuerto : eaq; in
tres maiores classes methodo , & ordine par-
tiri , suoq; loco protinus in minores diduci , &
sigillatim expendi posse existimo . siquidem uel
sunt expositiones uoluminum sanctorum scri-
pturarum , uel sunt commentarii insignium
Theologorum , uel proprio marte ab eo me-
ditata , & edita . Hanc autem postremam ita
diducimus , ut illa primum proponamus , qui-
bus ex professo Catholice fidei hostes oppu-
gnat ; subinde reliqua , quibus eandem Chri-
stianam pictatem grauissime docet , explicat ,
& tuetur . Primam quoque in duas commode ,
ni fallor , duidere possumus . Nam , & veteris ,
& noui instrumenti Diuinos aliquot libros scri-
ptis suis , tanquam Euāgelicus ille scriba doctus ,
clucidauit ; cum eos de sugestu sui temporis ho-

LIBER

mines antea edocuisset . quamobrem aliæ eius reperiuntur ennarrationes in uetus , aliæ in nouum instrumentum.

Et quidem, quod ad uetus attinet, scripsit in librum Job, in unum & quinquaginta Psalmos, in Esaiam, i Hieremiam, eiusq Trenos, &, cum febri laboraret propediem moriturus, Cantica Canticorum, efflagitantibus, & excipientibus monachis, ad quos diuerterat, breuissime, & ueluti per transenam attigit. Sunt autem non contemnendi auctores, qui lucubrationes eius in Esaiam, præ reliquis hisce suspiciunt, semelq Petrum, & Paulum Primarios Apostolos abstrusioris cuiusdā loci reseratores habuisse scribunt. Mihi scripta illa in librum Job maxime placent: sunt enim abstrusioris utriusq literaturæ secularis, & sanctæ refertissima, sunt numeris omnibus absolutissima. Et quamuis primus ille inter Latinos non fuerit, qui librum illum ad literam explicauerit (quod tamen D. Antonino uisum est; cui nec Beda, nec Hugo Cardinalis, nec Albertus, Thoma antiquiores, cum hæc scribebat, in mentem uenerunt) est tamen is, ut ego quidē sentio, qui antiquioribus copia, & diligentia anteponendus sit: & quem Lyranus, Dionysius, recentioresq omnes suis

scholiis, paucis exceptis, ferme compilant. Interpretatus subinde est Euangelium Ioannis (ut ad nouū progrediamur) & Epistolas D. Pauli omnes, & seorsum deinde duobus libellis orationem Dominicam, & salutationem Angelicam. Sed & cum Urbanus Pontifex ex ueterum commentariis luculentius sibi, uniuersaque Ecclesiae Euangelia explicari uchem eter cuperet, demans dassetque D. Thomae Matheum, & Mareum, Diuocque Bonaventuræ Lucæ, & Ioannæ, tanquam illici, qui Ecclesiae lumina maiora eo tempore esse uidetur; & Seraphicus Doctor demandata sibi prouinciæ, ob prefecturam supræmam Fraciscanæ familiæ, quam gerebat, explore speditus nequirit: ea omnia Aquinas ita uenuste, & grauiter patrum Græcorum, & latinorum uerbis elucidauit; ut cum admodum plures illi sint, qui citantur, si nomina tamē ademeris, nō admodum ægre unius dum taxat auctoris lucubratio uideri possit: quod opus, Theodoretum Ciri Episcopum, Petrum Lombardum, aliosque nonnullos imitatus Catenam Auream cōmoda, & apta inscriptione uocauit. In quo quid magis admireris, labore uidelicet, an iudiciū nōdum satis exploratum habeo: superat namque, & uincit utrumque cogitationem omnem, Squalebant primæ notæ, & auctoritatis Patrum in sanctam scripturam committæri; & ma-

L I B E R

nibus studiosorum nequaquam, uti tempestate
hac nostra planè beatissima fit, euoluebantur;
uel quia eorum plures græcas literas ignorar-
rent; uel quia codices ad manum paratos, quòd
uenirent carius, & studiosis obuii non essent,
non haberent; uel quia Patrum prolixitatem,
fusiores enim dicendo ueteres sunt, ad alia fe-
stinantes fastidirent. Eos Aquinas impiger ex-
cussit, deterrit, euoluit eorumq; nonnullos,
uel paternis sumptibus, uel Principum, & ami-
corum liberalitate, loqui latine fecit; quodque
ei peregregium, & illustre ad Euangeliorum
intelligentiam uisum est, celeri, & præstanti iu-
dicio, ex omnibus hinc inde sedula ueluti Apis
selegit, & feliciter conglutinauit. Circunfe-
runtur iam uero in Matheum, quoque, & in
Epistolas septem, quas Canonicas uocant, atq;
postremo in Apocalipſim commentarii, siue ex-
positiones, eius nomini inscriptæ, quarum ali-
quot quaterniones, earum, s. quæ in Matheum,
ego adolescent, cum Veronæ in cænobio San-
cta Anastasiae religioni, & literis operam da-
rem, deprehendi esse fratris Petri scaligeri, ordi-
nis nostri, & Veronensis Episcopi; cuius scripta
in communi bibliotheca seruabantur: & paulo
post, repetundarum ueluti reum, magistrum no-
strum,

strum, & præceptorem meum fratrem Bartho-
lomeum Spinam, qui id opus omnium primus
typis in uulgus dederat, quod lectori factum
non indicasset, admonui. Reliqui uero, quos
iam iam enumerabam, nec stilo, nec diligentia
cū aliis eius uiri cōmentariis conferri poslunt,
nec sunt a sectatoribus, alumnisq; Thomæ anti-
quioribus agniti; ut pluribus coniecturis eos,
uel non esse ueros fœtus. Aquinatis nostri ha-
sitare liceat, uel certe eundem supremam ma-
num illis non imposuisse. In Ioannem autem,
& in Epistolas D. Pauli omnes ipsissimus (ut
Plautino uocabulo utar) ubiq; est, hoc est di-
ligentissimus, & locupletissimus; omnia parti-
tur, connectit, perpendit; atque in citandis sa-
cris literis, & locis consimilibus, addens præte-
rea capitis numerum, ita densus est, ut quiuis
Theologotū alias; & perinde acsi earum indi-
cem, concordantias nostri uocat, Hugonis Car-
dinalis opus, ob oculos perpetuo cum dictaret
habuerit. Quod quanquam habere speciem
ostentationis quandam; rebusq; caliginem in-
ducere; dictionis cursum impedire; & ingenii
non nihil detrimenti adferre Aristarchis quis-
busdam, rimosar, & perfluentis memoriae homi-
nibus uideatur; fuerunt tamen, nedum seculo

O

L I B E R.

Aquinatis, nam hoc ille prorsus cum eius tempestatis scriptoribus commune habuit, uerum etiam florentissimo nostro, qui syluam illam consimilium locorum, & numerorum uehementer probarent; quod lectori ueluti ad manus collectionem scripturarum, quæ certissima clavis est ad intelligendas scripturas, exhibeat; segnesq; & oscitantes ad causas dicendi inuestigandas (quæ à D. Hilario, & cæteris præstantissimis uiris tantopere exiguntur) non modo inuitet, & alliciat; sed etiam sua quadam importunitate urgeat, & extimulet; habeatq; studiosus in promptu, unde scripturarum sensum referre uerius (quod idem Hilarius minus esse optimi interpretis dixit) quam afferre possit: sed suum unicuiq; pulchrum. Vbi uero' lectionem duplarem habet utramq; confert, utrancq; interpretatur; sed & crebro' digreditur, moxq; reuertitur; loca, quæ in specie pugnare uidentur, magna cum perspicuitate cōciliat; difficultates tollit; & ueterum placita, ubi dissentire uidentur, in medium, quod commentoris officium est, integra fide affert.
„ Commentatorium, inquit D. Hieronymus, officium est, aliorum explanationes differere; quæ obscure dicta sunt, plano sermone manifestare;

multotum sententias replicare, & dicere hunc „
 locum quidā sic edisserūt, aliis sic interpretātur, „
 & sensum suum, & intelligentiam his testimoniis, & hac ratione nituntur firmare; ut prudēs „
 lector, cum diuersas explanationes legerit, & „
 multorum uel probanda didicerit, iudicet „
 quid uerius sit; & quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Sed super- „
 uacaneum puto testimoniis, uel exemplis mo- „
 do probare, sanctum nostrum Doctorem, Hiero- „
 nymi canonem hunc pulcherrimum, usu eo- „
 rum omnium receptum, qui sacros, uel propheta- „
 nos autores cum laude explicauerunt, seruasse. Quin potius transibo, ut institui, ad secun- „
 dam classem.

Commentationes scripsisse fertur in librum
Dionysii Ariopagitæ de Diuinis nominibus,
 eas ego cum nō legerim, pluribus persequi desis- „
 nam. Quas uero in acutissimos, & doctissi- „
 mos Boetii libellos de hebdomadibus, deque „
 Trinitate conscripsit, studiosi omnes plurimi fa- „
 ciunt; præcipue autem illas, quæ in eum de „
 Trinitate extant. Siquidem in libro de Heb- „
 domadibus aridior esse uidetur: nam solis uer- „
 bis partiendis, & declarandis perpetuo,

O ii

LIBER.

neglectis disputationibus, uacat. In eo autē de Trinitate lucuplex, & Illustris sex quæstionibus, quas ego unionibus orientalibus sex insignioribus præfero, cum explicatione uerborū integrum opus absoluit. At uero qui in librū eiusdem Boetii de consolatione commentarii eius nomini inscribuntur Thomæ nō sunt, sed alius Dominicanus: ut ego ante annos uiginti, in Cydoniensī Monasterio, uetus sum natus codicem (nominis quanquam Auctoris oblitus, & patriæ) me legisse recordor: & stylus omnino cōsentit. Cum enim uel sectatorum quorundā Thomæ inepto iudicio, ac imprudenti in illum amore; uel, quod libentius mallem, cum sanctitatis eximia, ac incomparabilis Doctrinæ eius fama totum orbem peruasisset, omnibusq; in locis personaret, auctoritasq; summa haberetur; & nullus esset, aut secularibus, aut diuinis literis præditus, qui scripta illius (modo candidus æstimator esset) charissima nō haberet, ac undique cōquisita, musæum suum, aut bibliothecā tanto auctore ditaturus, quo quis insigni præcio non emeret: contigit, ut fœtus multorum auctorum Aquinati supponerentur; uigiliasq; & labores eorum Thomæ mūdus acceptos ferret. Quod Aristoteli quoque euenisſe, cum celeber

rimā Ptolomeus bibliothecam institueret, scrip-
tores plerique omnes testantur: flumina nimi-
rum ad mare properant, & omni habenti dabi-
tur. Sed execrabilius est, quod nequam, & sce-
lesti homines quidam, uel ad Thomā auctorita-
tem eleuandam (quod uidelicet alibi docuisse
aliter, & contrarium pateret) uel, ut ego quidē
arbitror, ad suam eorum aliquam opinionem,
quae in controversiam uerti soleat, tāti uiri testi-
monio fulciendam, & comprobandam egerūt.
Nam eius scriptis alicubi pseuso quādam inse-
ruerunt, & publico ego iudicio Venetiis Ty-
pographos olim conueni, & alibi rem totam
pando.

Sed ut eo, unde nostra deflexit oratio, reuer-
tamur, exposuit quoque subtiliter, & copiose
duas Decretales dogmaticas, in celebri, frequē-
tiq Synodo Lateranensi sub Innocentio tertio,
decem circiter annos antea quām nasceretur, e-
ditas. Cumque Petri Lombardi opus, quod
Sententiarum inscribitur, gymnasia, eruditiq
omnes præstantissimum in Theologia esse cen-
serent, & de sugestu interpretarentur: antea qui-
dem Iuuenis suis commentariis, & disputationi-
bus latissime; deinde uero atate prouectior, ad
Anibaldum Cardinalem magnopere efflagitā-

L I B E R

tem, contraeté, & pressius illustrauit. Vtrunque corpus suas meretur laudes, uerum quod primum recensui, usuqe studiosorum, & manibus notius est, & per eccellentiam, Scriptum non minari solet; tanti, ut ego quidem fanticus, est; ut frustra, & inepte Cancellarius Parisiensis Ger son, Altisiodorensi, Durando, Bonauenturæqe primas, præterito Thoma, in sententiis Lombardi explicandis tribuerit. Nihil enim præaltum, & incomparabile eius ingenium, uel præstans-tis doctrinæ, uel solertis industria, uel subtilio-ris artis, uel facundæ memoriæ subterfugit; tanta ex Græcis, Arabibusqe Philosophis, tan- ta ex latinis ueteris, & noui instrumenti enar- rationibus præsidia in illis disputationibus com- parat; ea arte, & differendi ratione progredi- tur; ut sit Durādus quantumuis acris, acutiqe ingenii; sit Bonauentura eximie pius, & in ex- plicādis uerbis magistri omnino diligens; Alti siodorensisqe impense doctus, & copiosus; fru- stra Thomæ in enodandis Lombardi sententiis aut præferuntur, aut etiam exequantur: & Du- randus, quem plerique; omnes cæteris præferunt, ubi Thomas silet; uel elinguis est, uel ad- modum ieiunus, & sterilis: & ubi a Thoma

recedit ; in syrtes , ac uortices rapida uertigine ruit . Sententiarii iam uero posteriores , quorum plures cumulatissimis laudibus extolli merentur ; quemadmodum frequentissime Thomæ aquam in suos alueos deriuant , & semina ex eo mutuantur , quibus uberrimas fruges demetere solent (ut proinde cum Samsone compellare eos ille possit , ac dicere . Nisi arassetis in uitula mea , non inuenissetis propositionem meam) sponte sua Gersonem censuræ illius iniquæ , atque præposterae redarguerent . Verum enim uero eruditos non latet , cur Thomæ Doctrinam Ger son ille male interdum tractarit , tantumq; Sollem sideribus interpositis obscurare , ac à nostris oculis amouere conatus sit . Sed frustra iacitur rete ante oculos pennatorum .

Ad postremam progredior classem , in qua eas lucubrationes primum reponebamus , quas aduersus Christianæ pietatis hostes , fortiter scripsit : in quibus est libellus ad Urbanum Pontificem contra errores Græcorum insignis , & hisce calamitosis temporibus , in quibus neoterici in utranque partem uehementer peccant , admodum oportunus : aut enim ingrati , ac temerarii Sanctorum

L I B E R

auctoritati detrahunt, aut in efferendis illis modum imprudentes excedunt: at uero eo opere D. Thomas pie, & circumspectione adhibita, interpretari procerum Patrum sententias docet; nec temere de eorum sensis iudicare: rursumque eos nec esse, nec dici posse Patres fidei (quod nihilominus Thomas Vualdensis alicubi testimonii Augustini, & Bedæ non recte a sequitis postea fecit) id enim Christi Seruatoris nostri epitheton est; sed expositores magis, atque doctores. & in priori parte Summaria, quantum illis tribuendum sit, luculenter ostendit. Libellum hunc confessim alius sequitur, qui contra Græcos, Armenos, & Sarracenos ad Antiochenum cantorem inscribitur: quo crassam, & planè absurdam earum gentium, de Trinitate diuinarum personarum, de Incarnatione, & morte Domini, de quibusdam aliis dogmatibus nostris intelligentiam plana, & diserta doctrina refellit. Sed libelli illi duo, quorum altero retrahentes ab ingressu religionis, altero impugnantes religionem redarguit, tata sunt eruditio, copia, & subtilitate referti; ut non nisi acuratissime euolui, & magno studio legi mereantur. Ardet enim in eis sanctissimus Doctor, tonatque aduersus impios, ac fulgurat. Quemadmodum

modum etiam fecit in grauissimo, & numeris omnibus perfectissimo opere illo, quod, qua- tuor libris partitum, aduersus Gentes pro reli- gione nostra edidit: ita enim fortiter, patenter, & copiose cum impietatem destuit, tum uero ueritatem orthodoxæ fidei propugnat; ut abs que alicuius iniuria ausim affirmare, ueteres omnes, qui plures, & grauissimi uiri fuerūt, ma gno interuallo ab Aquinate nostro in eo uolu mine doctrina, & ingenii acumine superari: quā quām orationis nitore, & ornamentiis longe il lis inferior esse delicatioribus hisce nostris ui deatur. Hieronymus Apologeticum Tertul liani, libellumq; Cypriani de Idolorum uanita te, atque Lactantii Institutiones iustis præco niis attollit. Quid (inquit) Tertulliano erudi tius; quid eo acutius? Apologeticus eius, & contra gentes libri cunctam seculi obtinent di sciplinam. Et de Cypriano ait, Cyprianus quod Idola Dii non sint, qua breuitate, qua historia rum omnium scientia, quorum uerborum, & sensuum splendore perstrinxit? Et de Laetan tio. Quis mihi interdicere potest, ne legā Insti tutionum eius libros, quibus contra gentes scri psit fortissime? Facturus quid, rogo, si Thomæ uolumina hæc legisset? Liceat illud Tertullia-

ni hic usurpare. Si tanti uitreum , quanti uerū
Margaritum ? Conferat quisquis uolet argu-
menta Thomæ in ethnicos , cum illis , quibus in
eosdem ueteres usi sunt , & iudicium ferat . Sa-
nè perspicet facile illos ueluti in puluere , hunc
autem in Adamante scripsisse hoc est uere æter-
nitati opus id cōmendassem . Quāobrem Petrus
Pomponatius Philosophorum suæ tempestatis
nemini secundus , & qui ad dissoluendam Chri-
stianæ uitæ disciplinam corrumpendamq; iuuē-
tutem edidisse de animæ nostræ mortalitate lis-
bellum quendam creditus est , uim & splendorē
earum rationum , quibus eo opere Thomas euin-
cit , Christianos nequaquam leuibus coniectu-
ris , uel inanibus argumentis quinimo ualidissi-
mis , & grauiSIMIS rationibus ductos , cælesti
doctrinæ assentiri , admiratus ab unguibus , ut
aiunt , leonem , esse Aquinatem sine dubio lumē
Christiani nominis dixit . Sed & Ioannes Bap-
tista Egnatius cōcius meus , qui Venetam lu-
uentutem multis annis de suggestu docendo , &
scribendo , in bonis literis egregie instituit , cum
id opus accurate euoluisset . Tāti , inquit , semper
Aquinatis Thomæ auctoritas in omni scripto-
rum genere fuit , is tuendæ augendæq; Christia-
nae pietatis ardor ; ea uitæ puritas , ac sanctitas :

ut a' Diuis Petro , & Paulo , reliquisq' nostræ ,,
religionis heroibus ; aut primus, aut si quis non ,,
facile hoc concederit , ut non primum eum cen,,
seat , nulli saltem primi post Petrum , ac Pau,,
lum , omnes cum Thoma secundi numerari de,,
beant . & paulo inferius . Ille igitur Aquinas
cum infinita alia ingenii fœcundissimi , ac felicis ,,
simi munimenta reliquit , quæ in usum Chri,,
stianæ pietatis elaborauit , tum hoc ipsum quod
contra Gentes , seu maius contra Gentiles , in
scripsit : quod opus ad multorum ueterum exē,,
plum conscriptum , sic facile excellit , ut nec ,,
Græci , nec nostri , quicunque in hoc curriculo ,,
desudarunt conferri cum Thoma possint . Scri-,,
psit contra Gentes Egregium olim uolumē Ta,,
tianus , scripsit Apollinaris Laodicenus , scripsit
hoc penè argumēto Septimius Florens Tertul-,,
lianus Apollogeticum , scripsit deniq' suas Fir-,,
mianus Institutiones , ut omittam innumeros ,,
alios : qui omnes , si cum D. Thoma compa-,,
rentur , oleum , & operam perdidisse uideri pos-,,
sint . Hem potuit tantum opus uerbis disertio-,,
ribus , aut magis illustribus comedari ? D. etiā
Antoninus , ita de ea scriptum reliquit , & qui
contra Gentes uolumen id Aquinatis lege-,,
runt , facile assentiuntur , quod , cum in eden-,,

do eo opere Thomas parturiret, uisus ita ples-
runque in contemplatione sit, ut ab alienatus, ac
plane seiuictus ab externis hisce sensibus, & cor-
pore a mole uideretur. Priore libro agit de Deo,
deque Attributis, ut loquuntur, & perfectioni-
bus illis, quas, uti Dominus est, sibi uendicat: Se-
cundo de emanatione creaturæ, & affectioni-
bus, ac distinctione eorum, quæ condidit; præ-
fertim autem Substantiæ intelletualis, circa
quam, quod ea præstantissima creaturarum sit,
fusius uersatur: Tertio docet quo ordine, tāquā
recursu, & circulo quodam, uniuersa, ipsa que im-
primis Natura intelligens, in eundem suum operi-
ficem, & finem reuertitur: Quarto autem lat-
cana supereminentissimæ Triadis, ac incarna-
tionis filii Dei, & Sanctorum signaculorū, qui-
bus Ecclesiam suam sanctificari, & ab impio-
rum conuentibus secerni uoluit, deque finali no-
stra Resurrectione, & Iudicio, Mundique subse-
quutro Iudicium statu ita tractat; ut non cum
Pomilionibus hoc est cum Poetis, aut cum in-
docta multitudine, quæ fabulis annilibus, nu-
gis, & deliramentis inniti solet; quæ omnia, ut
falsa, inepta que esse uideretur, satis fuit Lactatio,
Arnobio, Theophilo, Tertulliano, Taciano ex-
posuisse; uerum enim uero cum Gigantibus,

hoc est cum Philosophis eruditissimis, atque
Hæresiarchis acutissimis, qui suis captionibus,
& cauillis, atque imposturis montes ipsos tolle-
re, & cælo uelle formidinem incutere uideban-
tur; cū his inquā cominus manus conseruerit:
eorumq; armis primum illos strauit, moxq; iu-
gulauit. Cunq; eo uitio laborare ex nostris, qui
in aduersarios scribunt, quamplures inuenias,
quo Manichæos laborasse ad Honoratum Au-
gustinus scribit; frigidiores enim, & languidi
cum nostra propugnant incedunt, cum tamen
in explodendis alienis acres, & robusti omnem
lapidem mouere uideātur: Aquinas non magis
disertus, & copiosus in refellendis eorum uel
mēndaciis, & imposturis est; quam in tuenda
comprobandaq; Christiana pietate firmus, cer-
tus, & diligens. Seruauit, n. prudentissimus uir,
quod se Augustinus seruare alicubi significauit
ipsaq; egregia in alios differēdi ratio postulat:
Ut separatis nugis locorum communium (Au-
gustini hæc uerba sunt) res cum re, causa cum
causa, ratio cum ratione configeret. Obiecit
Lactantius Cypriano, & quantum mihi uidetur
docte, & grauiter, quod Demetrianum Prophe-
tarum, atque Apostolorum testimoniis; qua
uir phophanus, quem admodum ethnici omnes

futilia, nulliusq; ponderis esse existimabat, ag-
gressus fuisset; & non magis poetarum, atque
Philosophorum, quorum auctoritatem suscipie-
bat, usus sit: in quem scopulum Ioannes quoque
Grammaticus Tritheitarum praefectus, cum Ar-
istotele pro religione nostra congregiens, ali-
cubi illisit. Quamobrem Augustissimam illā,
& sacrosanctam temporis, & genituræ mundi
narrationem, quam uertex Prophetarum Mo-
ses sub initium recenset, Simplicius Philosophus
qui pro Aristotele Philopono respondet, fabu-
losam traditionem, & quæ ab Aegyptiorum ne-
niis originem duxerit, incesto, & sacrilego ore
uocauit. Longe abest ab eo errore Aquinas: ete-
nim non nisi argumentis naturæ luce confedit,
quorum plerisque assentiri, uel inuiti homines
crebro coguntur, quæ & demonstrationes di-
cuntur, in ethnicos pugnat, quanquā hereticos,
qui scripturas sanctas se recipere profitentur, ea
rum testimoniis quoq; confodiat, atq; illorū se-
ditiosa thurribula in laminas de mandato uelut
ti domini, producat; & ad altare adhibeat; hoc
est Dei oraculis, esse illa falsa, & ipura euincat:
& adhæc, ut catholicis uiris ostenderet, quā sit
sacræ scripturæ affinis, & arcta necessitudine hu-
mana ratio iuncta; quod illis neq; leuem, neque
contemnendam afferre uoluptatem solet; in cal-

ce capitum, earum loca, quæ instituto eius fauēt copiose adducit. Sed ad postremam monum-
mentorū eius classem alia quædā secundō lo-
co attinere dicebamus, in quibus sūt problema-
ta miscellanea, quæ duodecim, ut Parisiēses ap-
pellant, Quodlibetis eruditis, & facili breuitate
enucleatis omniū primus edidit, atq; diuisit. Et
subinde disputationes, quas cū doctissimis uiris
in Tēplis, inq; Gymnasiorum scholis congre-
diens, excipiētibus forte notariis, quod antiquo
rum Patrū tēpestatē fieri solebat, meditatus est,
Sūt autē inscriptæ, Quæstiones de potētia Dei,
de anima, de uirtutib; de Malo, deq; spirituali
bus creaturis. Quæstiones disputatas uniuersū
corpus appellant, Id dixeris manum quandam
quinq; pulcherrimis digitis partitā: opus uariū
est, subtile, floridi, & copiosum, ita; ut nullibi co-
piale magis loqui auctor uisus sit. Sunt autē il-
lius sectatores quidā, qui præstare uolumē id cæ-
teris eius scriptis censeāt, & nunquā laudare de-
sinant: quod ut ego nō improbo, ita longe mihi
magis probari Summam Theologiæ fateor.
Cuius operis augustissimi præstantiam, si mīhi
sint linguae centum, oraq; centum, si cuncta cor-
poris mei membra uerterentur in linguis, &
omnes artus humana uoce resonarent, nec ple-
ne narrarem, nec dignum aliquid eius magnis

studine, & maiestate dicerem. Res quæ tractan-
tur Diuinæ sunt; sententiæ sublimes; doctrina
constans, & subtilis; stylus breuis, & nitidus; ora-
do pulcherrimus, methodus uero incomparabi-
lis. Ita enim quæsita inuicem necit, ut unum
ex alio, posterius ex priori, instar catenæ, penden-
re, & lucem, ac robur accipere uideantur.
Quamobrem ex notioribus semper progredi-
tur hoc est, ex antea expositis, & constitutis;
omnia suis locis collocantur; nullas inanes re-
petitiones ibi reperies; nihil præposterum; nihil
superuacaneum, & redundans; nihil mūtum;
& concisum; ita, ut nimia breuitas obscuritatē
parere possit. Si peregregio, & perillustri uo-
lumini huic quicquā addideris mōstruosum; si
ademeris mancum, & curtum; si inuerteris di-
stortum, atque deforme, eruditorum omnium
consensu efficies. Dyonissius Carthusianus uir,
ut multæ lectionis, ac pietatis, ita non admodū
acris, & emuncti iudicii; & nuper quoque Epi-
scopus quidam egregie doctus (ut Doctorem
illum consulto præteream, qui rithmo ueluti
quodam, ut uocat, conclusiones ex ea, cum, ra-
tionibus sillogistice confessis olim conscripsit)
cōtrahere id opus frustra, ut ego quidē sentio,
uoluerunt. Siquidem corpus quoddā manibus,
ingentibus bimptis mūtagib[us] sibi manab[us]
pedio.

pedibusqe detruncatum mundo spectādum exhibuerunt . In collocandis uero argumentis , quæ de more pro falsa opinione in articulorū uestibulo, tria ut plurimū, interdum plura, nul libi uero pauciora afferre solet , subtilissimum ac planè pulcherrimum id artificium sæpe seruat, cuius neque apud ueteres; neque apud recentes auctores simile hactenus reperitur : ut quod secundo loco argumentum ponit , oppugnare possit non solum quam in corpore conclusionem statuit ; sed eam quoque responsionem, qua primum dissoluere nitebatur: & quod tertio loco, solutionem, quam ad secundum derat; ut non tam noua argumenta , quām replicas (si penitus tamen, & ut dicitur, ad uiuum usque materiae corpus resecaueris) secundum; & tertium esse deprehendas: ut si Doctoris Subtilis epitheton alicui concedēdum sit, ante Scholasticos omnes , & præ illis omnibus subtilissimus omnium Thomas, uel hac ratione nominandus sit. Sed rapit me amor , quo in diuinum opus a primis meorum studiorum annis feror, ut de eo latius, & particulatim scribam; uiamqe ad quas in eo illustrando adnotationes partu- rio, excursione hac simul muniam, atque com- planem .



Summa latina uox est , à priscis recentioribusq; latinis auctoribus usitata, & quemadmodum peritiores ante nos obseruarunt, collectio nem quādam, siue cōtractionem significat, quæ cum esse possit, uel numerorum, uel sentētiarū, uel aliarum rerum, euenit, ut Sūma numerorū, Summa sentētiarū, & huiusmodi dicere latine, & elegāter quilibet possit . Circunspectis rebus oībus, rationibusq; subductis (inquit Cicero) sūmā feci cogitationum mearū oīum, hoc est col legi, ad certaç; capita cōtraxi cogitationes me as oēs. Proinde quia collectio oīs, & cōtractio angustia quādā, & breuitas esse uidetur: cōnotat, (hāc uox) breuitatem, & angustiā quādam. Vnde formulæ illæ loquendi ortæ sunt, ad sum mā dicere, loqui in summa , & huiusmodi, quæ breuibus, paucisq; cōplecti nos uelle significat ea, de quibus uerba facturi sumus. Plinius, atq; recentiorum pleriq; cōpendium interdum uocarunt : quāobrem ab eruditis redarguuntur, ut qui à proprietate , & genuina significatione uocis deflectere uideantur: quandoquidē apud præclaros, auctores cōpendium facere, est face re lucrum: quēadmodum facere dispēdium, patidānum. Sed Theologis, atq; Philosophis, qui lōgius, quā Grāmatici perspiciunt, frustra hāc obiiciuntur, Siquidē qui lucrū facit, contractio

nem quandā, & collectiouē earum rerū, quas lū
cratur, ut faciat necesse est: atq; ideo cōpendiū,
& sūma in eādē significationē facile recidunt.
Vt igitur fateor Summā uocē esse latiniore; ita
uox illa cōpendium non mihi in proposito dam
nanda uidetur: siquidē S. Thomas, D. Bonauē
tura, atq; Albertus magnus breuiores quosdā
de re theologica libellos cōpendia Theologiæ
nuncuparunt. Iam uero ipsa Theologiæ uox,
græca quidem est, sed iam dudum latinitate do
nata, & nostra's effecta significatq; uerbum Dei,
aut sermonem de Deo: utrunq; n. recte dici po
test: nam & de Deo uerba facit, & a' Deo profe
cta est Theologia nostra, hoc est quā religio no
stra docet. Quoniam uero, ut ait Cicero, nulla
gens est tam fera, quæ nō, etiam si ignoret qua
lem Deum habere debeat, tamē habendū sciat:
nullus unquam extitit populus, qui Theologiā
aliquam non habuerit. Sed uniuersam gentiliū
Theologiā, S. Thomas in ciuilem, fabulosam,
& naturalem tanquam in tres nomenclaturas,
& classes, quarum Eusebius Pāphili, Tatianus,
Lactātius, Augustinus, & alii meminerunt, eru
dite distribuit. & ego in prælectione quadā non
inepte, ut arbitror, pridem differui, Hanc in pro
logo suo interdum Catholicam ueritatem ,
rursus Christianam religionem , postremo

L I B E R D E R

etiam sacram doctrinam Sanctus Thomas uocauit : eo ut arbitror cōsilio, ut nos uel hæc omnia esse unum, uel certe unum non consistere si ne alio edoceret : ubi enim Catholica ueritas non est, frustra ibi, aut Christiana religio , aut doctrina sacra , aut sincera Theologia quæritur, quemadmodum & Tertullianus olim monuerat; & ubi Christiana religio est, consequenter sacra doctrina , & Theologia secūdum Catholicam ueritatem intelligenda est: atque postremo, quod Catholica ueritas ipsissima sacra doctrina sit, & purissima Theologia; quæ Christianam religionem nostram constituit.

Eam in tres partes, quas Græci Tomos uocauerunt, partitus est: priorem Naturalem, postremam Sacramentalem, mediā Moralem Ptolomeus Lucensis, Sanctusq; Antoninus Archiepiscopus Florentinus nuncuparunt, a quorū sententia ut recedam, urgens , & manifesta , ni falsior, ratio cogit. Etenim nec a natura efficiente, quæ intellectus nostri lumen est ; nec a naturæ obiecto , quod sensile ipsum est, quod in se motus, & quietis principium habet, a quibus scientiæ, & uoluminum corpora naturalia dici solēt, eiusmodi cognomen sortiri pars illa prior potest. Quamuis nanque quædam ibi sanctus Do-

& or edoceat, quæ Philosophi uiuido quodam,
& liberali ingenio subtiliter meditati sunt, & ac
curatè explicauerunt; & quæ Physici sui esse
muneris, & iuris arbitrantur: alia tamen ratio-
ne atque illi fecerint hoc loco tractantur; nimi-
rum, ut a Deo Naturæ cōditore prodierunt, et
ab illo nobis manifestata, ac exposita sunt; & ob
id sub Theologiae formalī obiecto continētur:
ut proinde certum, & constitutum doctioribus
esse possit, eas lucubrations Naturales appella-
ri non posse, Quin etiam nec tertiam partem
Sacramētalem uocare magis possumus, quod
de sacramētis in ea agitur, quam, quod de Chri-
sto Deo, & Domino nostro cumulatissime uer-
ba faciat, Christianam.

Quapropter nos illas tres partes non posse
peculiari nomine sigillatim nūcupari cēsemus,
quod subiectum præcipuum omnibus idem sit,
specialia uero subiecta in singulis plura sint,
quam ut in unum commune caput commode,
& uenuste redigi possint. Quamobrem Sum-
mam omnem in Præfationem, quam ipse Prolo-
gum uocat, qui breuissimus est, & Narrationē
primum partimur. Narrationem autem in du-
as subinde partes, iu quarum prima de neces-
itate, unitate præstantia, subiecto, & aliis ad sa-

LIBER

cram Theologiam spectantibus, tanquam secūda præfatione, unica quæstione, quæ prima est, tractat; qua beneulos, dociles, & attentos lectores facit: in posteriore felicibus auspiciis, tanquam soluta naui, datis uelis, in altum diuinitatis mare se immittit. Nam de Deo quadraginta duabus quæstionibus, quantum homini fas est, locupletissime, subtilissime, & luculentissime uerba facit, sed ita: ut primum quinque & uirginti quæstionibus prioribus, de his; quæ ab soluta à Theologis dicuntur, quæ essentiæ Dei conueniunt, & ob id tribus personis Patri, & Filio, & Spiritui sancto communia sunt: quorum pleraque quadantenus communicabilia cum creaturis sunt; & quæ Philosophi, præsertim Platoni, & Aristotelici lumine naturæ non parū consecuti sunt: confessimq; de Trinitate personarū, hoc est de æterna generatione Diuini uerbi, de processione Spiritus sancti, de relationibus Diuinis, & proprietatibus, deq; huiusmodi aliis, quæ ad personas Diuinas spectant, accuratissime agit: quæ ut sunt creaturis īcommunicabilia, ita Philosophis prorsus inaccessa fuisse ostendit. Hanc partem 17. quæstionibus sequentibus complectitur, & a Deo in se, ad Deum extra se

in eius operationibus externis , & effectibus progreditur. Cunq; 4. sint huiusmodi operatio-
nes, rerum creatio, gubernatio, humani gene-
ris redemptio, & glorificatio ; rerumq; crea-
tionem distinctio , & ornatus sequantur, & crea-
turarum alia omnino spiritualis sit ; & incor-
porea , alia omnino corporalis , alia uero
utriusque particeps , & nexus : sic pulcherri-
mo artificio progreditur ; ut primum de crea-
tione , hoc est de modo , quo à Deo creatu-
ræ in lucem prodiere , tribus quæstionibus
44. 45. & 46. deinde in 47. de earum distin-
ctione in communi ; subindeq; in 48. & 49. de
speciali hac earum distinctione, qua passim u-
timur in bonum , & malum ; & postremo de
spirituali creatura , quæ Angelus est, à 50.
quæstione ad 64. usque, ubi de essentia , lo-
co , motu , potentia , operatione , & aliis bo-
norum , & malorum Angelorum , qui Dæ-
mones dicuntur , affectionibus tractet . Quo
peracto , in sexagesima quinta de creatura om-
nino corporali , tanquam de altero extremo , &
superiori opposito, ad 74. usque uerba facit:
quo in loco , primum libri Geneseos caput ,
omnium difficilimum (hoc est) creationem ,
partitionem , & ornatum corporeæ huius

LIBER

molis , quam mundum uocamus , eruditissime
explicat . In 75. uero ad 90. usq; exclusue, natu-
ram, et affectiones hominis; qui nexus, ligamē-
tumq; rerum esse uidetur, quantum ad animam
eiusq; facultates, & operationes attinet, ita co-
piose, & accurate pertractat, ut ægre Aristote-
lis libros de Anima , & aliorū Philosophorum
ea de re disputationes dijudicare sine Thomæ
præsidio aliquis possit . Constitutionem uero,
& Crasim corporis nostri diligentius discutere
Philosophi naturalis , aut etiam Medici ma-
gis, quam Theologia esse cum uideatur, de ea ,
non nisi quantum oportuit , uerba fecit a 90.
Quæstione ad 102. usque; ubi de prima homi-
nis productione edocet, tam maris, quam fœmi-
næ, dec̄ statu, & conditione illius quo ad intelle-
ctum, uoluntatem, corpus, conseruationem , lis-
berorum procreationem; Locumq; demum, in
quo felicissime degebat, qui & Paradisus ut fre-
quentius dicitur, cumulate prosequitur . Et ha-
cenus sanè de creationis opere , siue (quod di-
ctu idem est) de effectibus Dei creantis peregit.
Confestimq; de gubernatione, qua omnia sua-
uiter regit, & moderatur; dec̄ illius effectibus,
qui uarii , & multiplices sunt in creatura cor-
porea, & incorporea, atque etiam media , quæ
uti

uti dicebamus homines ipsi sumus, ad calcem uoluminis usque, felicissime & locupletissime disputat.

Quoniam uero hominis gratia, & uniuersa creata fuisse credimus, & sacras scripturas etiā editas. non enim (ut inquit Augustinus) Angeli scripturis indigent, sic circa consueuere Theologi uiri Clarissimi de homine, qui imago Dei est, comulatissime agere; tanquam suæ dignitatis illum commone facientes, & ad beneficiorū, quæ innumera naturalia, & supernaturalia a Deo accepit recordationem, & gratiarū aetionem impellentes. iure igitur in secunda parte summa quam propter eius magnitudinem auctor in duas partitus est, & ob id primam secundæ, & secundam secundæ frequenter audis, de homine potissimum agit; iuxta, quod suorum operum libero arbitrio, quo praeditus est, principium existit, & potestatē habet, & quia gratia finis cuncta fiunt: a consideratione finis orsus, primum in coi deinde in particulari de eo seorsum, qui felicitas, & beatitudo nuncupantur, sub initium primæ secundæ, prioribus quinque quæstionibus tractat. finis enim in moralibus principii locum obtinet, inde enim eorum quæ aguntur afferri ratio solet; at uero quilibet artifex

R

LIBER

à principiis auspicatur . Rursum quia finis obie-
ctum est , & obiecta priora tactibus sunt , ob id
de fine primum merito uerba fecit . Et subin-
de a sexta ad 22 . de actionibus humanis , hoc
est , quæ consueto ac ratione adhibita fiunt ,
deq̄ illas consequentibus , a 22 . autem ad
quadragesimam octauam usque , de perturba-
tionibus animæ (quas Græci πάθη vocant , ip-
se uero , & nostri passiones) nobis , & brutis com-
munibus docet . A 48 . ab actibus tū homini pro-
priis , tum illi cum bestiis communibus , tāquam
a notioribus , ut differendi ratio exigit , ad princi-
pia illorum conscendit . Quorum alia interna
esse uidentur potentia , & habitus ; alia externa
Deus opt . Max . qui nos perpetuo ad bonum
protrahit , ac Diabolus generis nostri antiquus
hostis , qui eo totus incumbit , ut nos perdat . O-
missa potētia , quod in prima parte de illa cumu-
late trāauerat , aggreditur in 49 . quæstione
subtilissimam , & prorsus difficillimam de habi-
tibus perscrutationem , antiquioribus patribus
uel prorsus incognitam , uel perfunctoriæ , & ue-
luti per trāsennam significatam . Quibus primū
in uniuersali , moxq̄ in particulari de illis , quæ
uirtutes dicuntur , & postremo de uitiis singu-
lis uirtutibus oppositis ad q̄tuagessimam no-

nam usque discussis : in nonagesima adornat instructionem de externis humanarum operationum principiis . Et præterita Dæmonū mentione, quod in priori parte copiose de illis disseruerat, de Deo rursum ea ratione agit , quod cum dupli ueluti organo uti uideatur ad descendos, promouendosq; homines ad uirtutes: legibus niniirum , quibus quid agere debent, quidue omittere discunt ; & gratia qua iuuantur, ut opere legum præcepta seruent: primum de legibus a nonagesima ad 108. usque ita per tractat, ut nihil quod ad illarum rationem, uim causas, partitiones , & effectus pertineat (quocunq; nomine censeatur, hoc est, siue æterna sit, siue naturalis, siue Mosaica, uel Euangelica, aut humana, aut membrorum) desiderare seuerissimus iudex possit : postremo de gratiæ necessitate, essentia, partitionibus, causis, & effectibus usque ad 114. quæ postrema est , ipse plenus gratia, magna cum laude docet . Hanc si recentiores Ecclesiæ hostes diligenter euoluerent, non eas de gratia , & libero arbitrio, deq; his cognatis dogmatibus turbas, & seditiones, quas pii omnes deploramus, in Ecclesia ita turpiter excitarent.

R. ii

In secunda secundæ subinde ueluti à genere ad species descendit. Nam cum de uirtutibus & eorum oppositis uitiiis, quæ & peccata dicuntur deq̄ aliis ad moralem materiam pertinenteribus communem, & uniuersalem considerationem in prima secundæ fecisset opere pretium se facturum putauit si præterea singula in spes suas, et sigillatim doceret. minus enim actionibus humanis. obeundis quod circa particularia sint, & uersentur, uniuersaliores Doctrinæ Morales prosunt, proinde iure de uirtutibus & uitiiis seorsum, & speciatim sibi agendum sumpsit. Atque cum donis illis præstantissimis, quæ spiritus sancti dicuntur, quibus aliquæ intellecuales uirtutes affines admodum sunt, & nomine communicant Deus ad bene recte q̄ uiuendum homines promoueat; & suis præceptis impellat (dantur enim præcepta de actibus uirtutum) hunc constanter ordinem differendo seruat, ut primum agat de uirtute, deinde de uitio, siue peccato quod illi opponitur (elucescunt enim opposita magis cum iuxta se posnuntur) deinceps de dono spiritus sancti illi uirtuti, quam expendit, affine, & de præcepto Diuino, quo illa præcipitur uirtus, deq̄ uirtuti connexis, & eorum oppositis. Hæc est. s. Do-

ctoris methodus, illiqꝫ doctrinæ ordo in Se-
cunda secundæ perpetuus. Agit autē primo de
virtutibus Theologicis fide, spe, & charitate à
prima, usque ad 46. nam de fide, illiqꝫ corre-
spondentibus 16. quæstionibus prioribus tra-
ctat. de spe subinde à 17. usque ad 22. de cha-
ritateqꝫ confessim à 23. ad 46. usque, iam vero
in 47. de moralibus, quæ Cardinales uocan-
tur, quod classicae sint, & aliarum capita: &
de earum partibus integralibus, & subiectis
uis, earundemqꝫ annexis ad centesimam octua-
gesimā secundam usq; locupletissime edisserit:
huncqꝫ tenorem seruat, ut à notioribus ubiqꝫ
progrediatur, hoc est ab obiectis ad actus, &
ab actibus ad habitus, subiecta, causas, effe-
ctus, tam internos, quam externos, quorum
postiores fructus quoque uocantur: & inde
ad eorum opposita, & partitiones, affectiones.
Principem autem moralium Prudentiam, quæ
etiam uirtus intellectualis est à 42. ad 57. ex-
pliCAT: deinde in 58. agit de Iustitia, usque ad
122. in qua reperies tractationem nobilissi-
mam, de Religione, quæ uirtus annexa est iu-
sticiæ deç actibus, & uitiis illi oppositis, quæ
omnia admodum opportuna, & necessaria
hoc tempore esse uidentur: in 123, de Fortitu-

LIBER

dine ad 141. usque, a' qua de Temperantia, usq;
ad 170. docet. Cumq; uirtutes Theologicæ,
& Morales, quas enumerauimus, ad hominum
omnium status, & conditiones spectare uidean-
tur ; aliaq; præterea Dei dona sint, quæ non
omnibus, sed seorsum aliquibus in Ecclesiæ be-
neficium Deus impertiri solebat , quæ conue-
nienter à Theologis gratiæ gratis datæ dicun-
tur; de iis quoque explicare subinde eo ordi-
ne properat , ut principem locum tribuat illis,
quæ ad cognitionē, qualis est prophetia; secun-
dum illis, quæ ad elocutionē, ut donum lingua-
rū; gratiæ sermonis, scientiæ, & sapientiæ, tertii
illis, quæ ad operationem cuiusmodi est gratia
miraculorum, pertinent: & de his quidem à 171.
utq; ad 178. tractat. Porro quia hoīes inter se
nontantum uirtutibus, & gratiis gratis datis, ue-
rum etiam operationum studiis , & officio-
rum multiplicitate, ac uarietate statuum dif-
ferunt; ideo ne quid expetere in præclarissimo
opere possemus, quod ad hominem recte di-
gnoscendum, instruendumue faceret, mox il-
lis explicatis ad uitam contemplatiuam, & acti-
uam , expendendam, quæ studia operationum
diuersa sunt, se se transtert à 179. uidelicet,
usque ad 182. postremoq; ad officia , & status,

qui personæ obligationem quandam dicunt, a
183. usque ad calcem operis hoc est ad 189.
usque, absolvit. In qua explicatione de illis
in genere primum agit deinde ad statum per
fectionis descendit, & inde ad statum Epi
scoporum, & Religiosorum. Qua lectione
quid Episcopi sint, quid'ue Religiosi; quæque
eorum professioni, & ordini conueniant; quo
modo secernantur religiones, & quid age
re debeant abunde edocet. Et hic finem fe
licissimum imponit secundæ parti. Quam Ger
son omnium scriptis, qui materiam Moralem
hanc tractarunt, præferre non iniuria, uidetur.
Est enim & perspicua, & locuplex, & subtilis, &
quātum ego arbitror, Aristotelis Moralia lon
gius, quam censere quisquam possit, ordine, &
copia antecellit. Neque tot oppugnatores ha
buit hæc pars, atque aliæ priores habuerunt.
Vnus Martinus Parisiensis Magister Pa
trum memoria fuit, cuius nenia Cardina
lis Caietanus optime retrudit, & patenter ex
plicit.

In tertia parte demum de Christo Domi
no, ac Salvatore nostro; deque illius bene
ficiis, ad capescendam salutem, humano generi
præstitis, agit. Ille etenim solus est, qui hominē,

LIBER

quem conderat in supernam beatitudinem per-
ducere potuit. Quamobrem ab opere guber-
nationis, ad opus redemptionis progressus, de
medico, & medicamentis animarum nostra-
rum, quæ sacramenta Ecclesiæ sunt, agit: & de
priore quidem ad 59. quæstionem de poste-
rioribus autem ad operis calcem usque copio-
se, & feliciter. Et de Christo Domino cum or-
dinem quidem seruat, ut primum quæ ad illius
Incarnationem pertinent, de Ægo coassumptis, &
consequentibus, & quovis modo ad illam spe-
ctantibus doceat; deinde de Conceptione, Na-
tivitate Circumcisione, Baptismo, Conuersa-
tione, Tentatione, Doctrina, Miraculis, Trans-
figuratione, Passione, Morte, Sepultura, Descen-
sione ad inferos, Resurrectione, Assensione, Ses-
sione ad dexteram patris, & iudicaria potesta-
te. Quibus feliciter declaratis, confessim ad sa-
cramenta explicanda progreditur, de quibus
in genere primū quid nam sint, quæ eorum ne-
cessitas, qui effectus, quæ causæ, qui nume-
rus, & modus a' 60. uidelicet ad 65. explicat
In 66. autem agit de primo omnium sacra-
mentorum, quod est Baptisma, usque ad 70.
In 72. uero de sacramento confirmationis, siue
ut alii uocant Chrismatis. In 73. porro, usque

ad

ad 83. augustissimum sacramentorum omniū Eucharistiam ita tractat; ut in eo argumēto uires omnes ingenii, & eruditionis suae adhibuisse Erasmus merito scribat. Et inde usque ad calcem de Pœnitentiæ sacramēto eiusq; partibus agit: & ita, cum per mortem ei minime ulterius progredi licuerit, finem totius operis nobilissimi omnium, ut dicebamus, & diuinissimi hic habemus. Quod omnium postremus, ut mihi qui dem uidetur, compedium Theolog & angustus sane, sed tamen doctissimus, & pulcherrimus libellus, tāquam coronis quædam subsequi pot.

Sed ad doctrinam illius in uniuersum, ueluti postliminio reuertor. Quam plane quanti fecerint uiri eruditissimi Græci, & Latini pleriq;, qui non modo in Ecclesia dum uiuerēt summas præfectorias gesserunt: uerum etiam eoru quidam egregia monumenta posteris reliquerunt: ego iis nominatim citatis, ac eorundem uerbis in præsenti ostendam. Qui tamen nec ex eius schola prodiisse uidentur, nec in illius uerba perpetuo iurasse ne domestica testimonia, quæ nullius esse ponderis solent, me citasse quispiam dicat. Quamobrem intelligent iuniores sanctorum literarum tyrones, & candidati; longe aliter celebres, & primæ notæ homines; atque

S

LIBER

gregarii quidam, & indocti, uel hæretici, uel ob-
trectatores faciant, de hoc fulgentissimo Eccle-
siae Catholice sole, & sentire, & loqui. habebo
autem dignitatis eorum magis, quam tempo-
ris in quo floruerunt hoc loco rationem. Ergo
ut Principem locum Ecclesiae tribuam, hisce
præconiis Thomæ scripta grata, & laeta illa at-
tollit. Stylus breuis, grata facundia, celsa, clara,
firma sententia. Innocentius autem, ut opinor
quintus (nam unum hoc testimonium in fonte,
ut aiunt, non uidi; sed referente Pizzamano Pa-
tritio Veneto, & ciue meo, cui esse adhibendam
fidem semper existimauit) Petrus de Tarranta-
sia in ordine nostro uocatus, eminentis scientiæ
uir: qui in Parisiensi Academia cum Thoma
floruit, cuiusq; scripta D. Thomas se legisse os-
tendit unde & plerosq; illius articulos, deman-
dâte Magistro ordinis particulari libello accu-
ratissime expendit: sic alicubi de Doctore no-
stro scriptum reliquit. Huius doctoris sapien-
tia, præ cateris (excepta Canonica scriptura) ha-
bet proprietatem uerborum, modum dicendo-
rum, ueritatem sententiarum, ita ut nunquam
qui eum tenuit inueniatur a tramite ueritatis de-
uiasse, & qui eum impugnauit, semper fuit de ue-
ritate suspectus. Urbanus autem quintus pro-

pemodum sic. Volumus insuper, & tenore
 præsentium iniungimus, ut dicti B. Thomæ do-
 ctrinam tanquam ueridicam, & catholicam se-
 ctemini, eamq; studeatis totis uiribus ampliare.
 Ioannes iam uero uigesimus secundus, qui Bea-
 tum Doctorem Sanctorum Cathalogo adscri-
 psit: cum de miraculis ab eo editis in præstan-
 tissimorū uirorū corona uerba fierent dixisse,
 perhibe Gersone, fertur. Nō esse de eius mira-
 culis uehementer curandum, quippe qui tot mi-
 racula fecit, quot quæstiones determinauit. Sed
 & Bessarion Cardinalis Nicenus, & Patriarcha
 Costantinopolitanus eundem hac honorifica
 cum præfactione interdum citauit. Thomas A-
 quinas, ait, nō minus inter sanctos doctissimus,
 quam inter doctos sanctissimus.

Ioannes Fislenius Cardinalis, atq; Episcopus
 Roffensis, & Martyr Beatiss. in Lutherū Pugnās
 sic loquitur. Neq; Thomas Aquinas, usq; adeo
 tibi Luthere paruipendens est, quem pleriq;
 in sacris literis exercitatissimi Theologiae florē
 appellare cōsueuerunt. Hunc subsequutus Ga-
 spar Contarenus Cardinalis ita scriptū reliquit.
 Hanc Auicenæ positionem D. Thomas excel-
 lentissimus, ac nunquam satis laudatus, satis ef-
 ficaci ratione reprehendit. Sed & Geor-

LIBER

gius Scholarius, de quo in actis Florentinæ Sy
nodi mentio fit, cum Patriarcha Constantino-
politanus deinde effectus fuisse, & de more mu-
tato nomine uocatus Gennadius, hisce uerbis
Doctorem hunc nostrum quodam in loco exor-
nat. Thomam, inquit, Aquinatem nescio an ali-
quis suorum sectatorum plusquam ego admire-
tur, & colat. Ego si quis eius scriptis animum
adhibuerit, huc nullis aliis indigere opinor mu-
sis, satisq; ei esse, sua recte percipere posse. Sed
quoniam Italorum nonnulli, iicq; ex Francisca-
norum coetu recentioribus quibusdam docto-
ribus ita addicti sunt, ut non solum eorum par-
tes tueri, uerum etiam præ nimio erga illos stu-
dio in hunc doctorem inuehi, atque maledicere
conentur, qui uel ab iis ipsis, quos præferendos
cēsent maximam meruit laudem: atque si quid
illis uel addidisse, uel excogitasse accidit, in hoc
eos tanquam discipulos, a præceptore occasio-
nē accepisse uerisimile est: hanc igitur ob cau-
sam onus interpretandi huiusc libelli suscepī;
ut tibi ostēderem, quoniam ingenii acumine vir-
iste prædictus eslet. quo iudicio, qua deniq; sub-
tilitate: quam ipsi, si diis placet, crassitudinem
appellare non erubescunt: quanquam propter
iudicij inopiam, eiusq; debilitatem ita censeant.

Iunioribus enim, qui uel aliquid addiderint, uel
excogitauerint suæ non sunt negandæ laudes ;
illi uero tanquam omnium præceptorib[us] beneme-
rito maiori doctrinæ uiro, iure optimo, maiores
habendæ sunt gratiæ . Quamobrem, & Roma-
næ Ecclesiæ suffragiis ornatus, & in Diuorum
numerum est relatus, cum reliqui solum inter
Scholasticos cōgressus aliquid honoris sint cō-
sequuti . Nilus quoque Thessalonicensis Ar-
chiepiscopus, Georgio Scholario æqualis, ita
quodam in loco scribit, Thomas Latinæ Theo-
logiæ facile princeps. His Ambrosius Catari-
nus Archiepiscopus Compsanus, ita dicens sub-
scribit. Neque propterea detrahimus quicquā
Thomæ doctrinæ, nec impugnamus eā, ut qui-
dam imperite putant. Nam pro eminenti eius
scientia, ego frequenter illud usurpare soleo. Il-
le sciat se ualde profecisse cui Thomas ualde
placebit. Præstat autē, & Aegidii Romani Ar-
chiepiscopi Bituriensis, de quo superius memini-
mus, locupletissimum afferre testimonium . nā
inter cætera, cum de D. Thoma uerba facit, hūc
in modum scribit . Quare detraxisti sermoni-
bus ueritatis, cum è uobis nullus sit, qui possit ar-
guere me, ad increpandum tantum eloquia cō-
tinuatis & inuentum uerba profertis superpus-

L I B E R

„ pillum irruitis , & subuertere nitimini amicum
„ uestrum . Respondere obsecro absque conten-
„ tione , & loquentes , id quod iustum est iudica-
„ te , & non inuenietis in lingua mea iniquitatē ,
„ nec in faucibus meis stultitia personabit Job. 6.
„ Quæstio proposita optime in persona fratris
„ Thomæ Doctoris eximii (cuius Doctrina ful-
„ get Ecclesia) potest proponi quibusdam , qui e-
„ ius Doctrinam , imo ueritatem , quam docuit , de-
„ prauare nituntur , ipsius sermonibus ueritate
„ plenis , & spiritu ueritatis instigante cōscriptis ,
„ detrahentes : & hæc est eorum sententia de uer-
„ bo ad uerbum per singulos articulos digesta , &
„ conuenienter ex dictis eiusdem Venerabilis Do-
„ ctoris exterminata , ut Deo iuuante patebit.

Et in calce operis rursus ait .

Hoc enim sciendum , quod ad omnia quæ isti
contra Thomam a principio adduxerunt : facil-
lime per eius uerba ueritate plena poterit respō-
deri pro aliquibus tamen habendo omnia scri-
pta eiusdem , quæ isti , ut ex processu eorum cuius-
dentius liquet , nixi sunt deprauare : nulli du-
bium facultatem deesse , quorum forsan mani-
bus ista eorum deprauatio deuenire contingit :
nunc uerba eius , nunc sententiam (prout capes-
re potuimus) articulis singulis curauimus , ad

omnia respondendo, secundum nostrum modu-
lum applicare: uolentes ad altius sapientibus oc-
casione lucidius respondendi, & illius laudem
attollendi uberius præbere, qui Doctorem istū
sapientiæ radio illustrare, & super Ecclesiæ Cā-
dellabrum pro orbis terrarum instruptione di-
gnatus est sua clementia exaltare. cui laus, ho-
nor, & gloria in secula seculorum amen. Do-
minicus Episcopus Torcellanus primum, & de
inde Brixiensis, cum diploma canonizationis
sancti Thomæ expendisset hunc in modum sub-
dit. Hæc autem, uel similia non dicit de aliis
(nimis Pontifex, uel sedes Apostolica) ideo
uidetur, quod non possit tangere hæc sedes do-
ctrinā eius, sine hoc, quod se ipsam quodam mo-
do tangat. Non grauabor his addere Anto-
nii Campani Interamnatium Episcopi testimo-
nium quanquam prolixum nimis nonnullis ui-
deri polsit. Sic. n. de Doctore nostro loquitur.
Thomas locupletissimus in Dialeticis, de quib.
sic edidit; ut qui eius præcepta non negligant,
& fallere quenquam nolint, & falli ipsi a quo-
quam nullo modo possint: locupletissimus in
Philosophia; siue illa, quæ ad uitæ pertinet in-
stitutionē, & moralem appellamus; siue quæ in
rerum natura uersatur, & initia, casus, euētusq;

L I B E R

„ comple&titur, & Physicam nominamus: in qua,
„ & inuenit ipse multa per se suopte ingenio: &
„ aliorum inuenta inuoluta, & perplexa splendi-
„ diSSima, & distinctissima luce declarauit: lucu-
„ pletissimus in scientia Diuina, quam Theologi-
„ cam nuncupamus, de qua idem ipse tot, tantaq[ue]
„ conscripsit, tam multa, & uaria edidit uolumi-
„ na, ut mirum tuerit sufficere eius aetatem ad le-
„ gendum, nedum ad scribendum potuisse; an-
„ num enim quinquagesimum quum uix attigis-
„ set, migrauit è uita; nec ullum est ænigma tam
„ ambiguum: nullus tam intrincatus nodus, aut
„ inuolucrum: nullæ tam obscuræ nubes in huius
„ genere doctrinæ: quas uir Dei sanctissimus nō
„ euoluerit, retexerit, aperuerit: semper colle-
„ ctus, distinctus, ordinatus; ut alii semper scidis-
„ se diuinam scripturam: hic collegisse, illi inuo-
„ luisse anfractibus: hic direxisse in compedium;
„ illi infudisse tenebras, & conculcasse, hic claris-
„ simam attulisse lucem, & expedisse uideatur.

Sed flores Veri, & stellas cœlo addere uelle
tibi optime Ioannes uidebor, si præclarissimo-
rum uirorum elogia omnia, quibus Doctorem
hunc exornare illi studuerunt, cogerere hoc lo-
co uoluero. Sunt enim referta recentiorum scri-
ptorum fermè omnium monumenta laudibus

Thomæ,

Thomæ, auctoritatibus Thomæ, nominibus
Thomæ. Hic^a Thomam Scholasticorum Vexi-
lanum uocat.^b Ille nostræ Theologiæ splen-
dorem.^c Nōnull Scholasticæ Theologiæ florem.^d
^d Quidā ī eo nihil esse īsimū afferit, nihil medio-
cre, sed totum summū, & totum perfectissimū.
^e Alius lōgo eū diuinitatis haustu cōpotē dicit.
^f Plerique oēs Angelicū.^g Alii ingeniosissimū,
eruditissimū; & cui in palæstra, & exercitatione
Scholastica nemo proximus sit; eiusque copiosissi-
mam, solidam, & incredibilem doctrinam sem-
per se prædicasse, & laudasse sponte sua faten-
tur. Quemadmodum & nōnulli,^h qui ætatem il-
lam nihil eo doctius tulisse, nihilque religiosius
uidisse scribunt. Sed & celebrem Ecclesiæ Do-
ctorum eum alii uocant. Et^k quidam postremo
eo in Dialecticis acutiores, in Mathematici
subtiliores, in Philosophia locuplectiores, in
Theologia denique sublimiores nemine se leguisse
testatur. Et planè nemo præstatiissimas artes has
incōsulto Thoma, aut legere, aut profiteri ullo
unquā tēpore cū laude potuit. Sūt & qui iure co-
sultis Thomæ doctrinā, ad ueterū illorū sanctio-
nes recte intelligēdas magnopere necessariā esse
cōtēdat, ī quibus est Frāciscus Vuargas, qui pro
Carolo. V. semper Augusto, & pro Philippo

T Hispaniarum Rege

a Martin^{us}
Perecius
de tradit.
par.3.cō-
fid.3.
b Ioānes
Picus in
Heptaplo
c Andre-
as Vega ī
opusculo
de iustif.
q.6. & Ro-
fensis ubi
supra.

d Martini-
nus de Vi-
ana in o-
ratione
de D.Tho-
ma.

e Paulus
Corcili^{us}
p.d.1.

f Ioānes
Delphin^{us}
a Casali
maiore d
celibatu

li.2.&Bar-
tolomeus

Camera-
rius ī Dia-
logo de

prædesti.

g Ioānes
Arbore^{us}

Tomo. I.
lib.1.c.25

h Longo-
lius forē
nead Lu-
terianos.

i Franci-
scus Ti tel
māus ī ad
no ps.109

k Thomas

Phedrus

in Panegi-

rico.

L I B E R.

Catholico, & potentissimo apud Venetos primum moxq; apud Pontifices Paulum, & Pium honorificis legationibus functus nuperrime est, uir omnino undecunque doctissimus, & legum monarcha, quem ob eximiam eius doctrinam, & singularem probitatem, obq; præclara multa in me beneficia, honoris ergo, hoc loco citare de nomine uolui, is itaq; quodam in loco, sic scribit .

„ Experiamur itaque & nos , an opera nostra
„ aliquid iustæ defensionis , Iustitiae descriptioni
„ accedere queat: quod facilius consequemur , si
„ D.Thomam, tanquam fortissimum quendam
„ Herculem in cūnibus id genus difficultatibus
„ superandis adhibeamus: is enim , ut in omnibus
„ aliis , ita in iis, quæ ad moralis Philosophiaæ co-
„ gnitionem pertinent, adeo semper fuit diligens
„ explorator ueritatis; ut nihil abditum , nihil re-
„ motum, nihil obscurum esse permiserit, sed om-
„ nia exposita, prompta, ipsa deniq; luce clariora
„ omnia fecerit . Huic uni in sapietiæ studiis plus
„ debeo , quam infinitis iurisperitorum uerbosis
„ commentariis nude, breuiterq; ueritatem expo-
„ nit , et omissa inani authorum, opinionumq; ci-
„ tatione, solida uiūcedit, rationibusq; inuictis per
„ omnes aduersitates uiam sibi aliisq; sternens .

Quanuis igitur ex Aristotele, omnis Philo-
phia facile principe, rectam Vlpiani Iuriscon-
sulti sententiā accepissem; nolui tamen D. Tho-
mæ nomen hanc Iustitiae diffinitionem doctissi-
me elucidantis, & a multorum hominum tene-
bris eruentis, subticere 22. q. 57. & 58. tum ut
mea, augusto eius nomine, magis probentur,
tum ut omnes adhotter, ad uirum illum cognos-
cendum, qui non Physicis magis, & Theolo-
gis, quam Iurisperitis est necessarius, qui sileum
legissent intellexissentq; Deus bone, quantum
ignorantiæ, quantumq; turpis erroris, e libris
suis, atque animis eximere potuissent. Sed lon-
gius me euexit studium quo in D. Thomā non
affectus modo sum uerū totus etiam ardeo fla-
groq;. Cæterum quanquam ad non uulgarē
Aquinatis laudem clarissimorum uirorum præ-
conia hæc facere uideantur; habet tamē ille ma-
ius, & luculentius testimonium his. Nam ope-
ra quæ fecit illa testimonium perhibent de eo.
Contigisse iam uero auctoribus recentioribus
nonnullis ego facile animaduerti, quod sideri-
bus euenire, & Ptolomeus scribit, & nos crebro
conspicimus: siquidem nobis maiora uideris so-
lent, cum iuxta Horizontem sita confundunt,
quam cum uel medium cœli tenent, uel inde ad

L I B E R.

Horizontem rursum conuersa descendunt, Etenim cum primum quorundam scripta in lucem prodierūt legi audius & magno cū orbis aplau su cœperunt, intraque breue temporis spatium & summam quandam auctoritatem, & maximam nominis celebritatem adepta eē uidetur: sed cū postea accuratius studiosorū manibus terri pre siusque euolui, & expendi cœperunt, confessim ab eorum existimatione multum decidisse uidimus, & quorundam quidem citius, nonnullorū uero tardius eruditorum omnium tacito quodam consensu ad minora subselia, atque etiam ad angulos reiecta fuisse. Et plane Veris tempus oblectare magis, atque afficere homines solet, quam uel æstatis, uel autumni, uel hyemis: et plures orientem solem (ut dici solet) adorant, quam cum ad occasum pergit. At uero Thomæ monimenta oriri semper, & splendescere in dies magis, ac magis uisa sunt. neque posterioribus temporibus doctiores catholici omnes, minus quam prioribus illa sunt uenerati: quinimo dignitate; & loco parem eunde priscis religionis nostræ Heroibus (sine ulla controversia) sua sponte fecerunt. Perspexerunt siquidem clarissimi uiri in eo omnia, quæ in præclaris auctoribus laudare magnopere, & suspicere seorsum

solemus, eruditionem. s. perspicuitatem, amplitudinem, iudicium, diligentiam, grauitatem, ingenium, subtilitatem, acrimoniam; quorum singula Scholasticis insignioribus singulis diuisisse Spiritus sanctus uideri potest; ea inquam universa prorsus non vulgariter, aut mediocriter, sed summo quodam modo, sed excellentissime, & incomparabiliter, in uno Aquinate munificè tissimum Dominum nostrum ueluti profudisse, seq̄ effusissime in illius sinum, orbi consulturus uniuerso, effudisse. Quamobrem Græci omnes eruditi, qui alioquin, uel improbitate quadam, ut sit, uel leuitate (quæ illis obiici a nostris frequenter solet) Latinos suscip̄ deq̄ facere, & uituperare conantur; Thomæ uolumina quædam, cōtra Gentes nimirum, Theologiæ Summā, de Ente & Essentia libellum, & alia quædam non modo in suam linguam accurate uerterunt; uerorum etiam suis eorum adnotationibus, & commentariis illustrarunt; eximiisq̄ præconiis prosequuti sunt; & incorrupti ueluti Iudices, longo iteru alloeum Latinos recentiores oēs in scientiarum curriculo antecedere (quemadmodum supra ex eorum uerbis audiuimus) ueritatis uiduci, dixerunt. Nec iniuria planè. Eminet enim inter alios oēs, Quantū lenta solēt inter Vibur

L I B E R

na Cupressi, Certe cum Theologica arcana ex plicat, & Orthodoxa dogmata propugnanda , ac fidelibus aperiēda sumit, uix credi ab eo pōt qui illum non legerit, quām sit accuratus, quām sit diues, & quām utriusque instrumenti locorū, & auctoritatum locuplex. Nouerat ille sane ue rissimum prorsus esse , quōd Ambrosius antea dixerat, suspectam esse reuelationem omnem , quam lex, & prophetæ cum Euangelio haud cō firmant . Ad hāc Romanæ sedis de fide iudi ciis, Cōciliorum Oecumenicorum decretis Ec clesiæ auctoritati ; quæ omnia fermē unum ei se existimare solet; pius, & humilis, summā sem per, tanquam Dei certissimis quibusdam oracu lis, exhibuit reuerentiam: cumq; alicubi ab eo rum uerbis; nusquām tamen ab eorum sensu, & mente , quā acutissimus ipse , & plane lynceus perspiciebat, recedit: ut frustra , & oscitanter dixerint quidam; cum non nulla alicubi scribe ret , Decretalis cuiusdam, in quam pleraq; ipse eruditissima elucubrauerat, oblitum fuisse. Ec clesiæ, & Orbis consuetudines , quæ Augusti no teste, ab Apostolis, sanctissimis'ue Patrum, & Vniuersalium Synodorum constitutionibus emanasse ueluti per manus creduntur, non mo do plurimi semper fecisse uidetur ; uerū quoq;

auctoritati Doctorum anteposuisse. Ritus Ecclæ, quos & ordinationes quoque uocat, firmiter oportere nos credere a Christo domino prodire, docuit. Pro dignitate, atque amplitudine Romani pontificis, Christi in terris Vicarii, ab hæreticis, & scymaticis afferenda, perpetuo aduigilat; & ubiqꝫ remis, ut aiunt, & uelis totus incumbit: & quantum ego illius rationibus consequi ha&tenus potui, felicissime hæc omnia euincit: augustissimum nimirum esse, & sacro-sanctum (ob Spiritum sanctum eidem assistētē) sedis illius de religione Christiana iudicium; eius esse munera, cogere generales Synodos; fidei Symbola edere; Rem publicam Christianam omnem suis legibus moderari; teneriqꝫ omnes, cuiuscunque nominis sint (modo uelint æternæ salutis fieri cōpotes) tanquam patri, magistro, et uniuersali pastori ex animo illi parere. Hæc (quæ tamen a Ptaribus ille acceperat) Almainū, Ioannem Antiochenui, Gersonem, Cusanum, aliosqꝫ recentiores nonnullos, qui leuissimis quibusdam rationibus duci, quedam secus docere atq; maiores nostri Ecclesiæ colunæ fecerit aurorum memoria maluerunt: mirum est, quomodo exulcerarunt, & Crabrones ueluti in Thomam aliquando irritarunt. Quamobrem fontem

LIBER

uberrimum hunc crebro' sponte sua relinquere, & cisternas dissipatas sibi effodere uisi sunt; Hæreticisqe proinde funestissimis, & infensiſſimis hostibus nostris imprudētes tela multa sub ministrasse. Patres præterea nostros, quibus diutinus catholicorum consensus illius aetate autoritatem dederat, ubique mirifice ueneratur, eosqe uel commode interpretari, cum absurdum docere uidentur, studet, uel certe excusat, uel demum cum opprimi ueritatem eorum auctoritate cernit, tantum quod excesserint, paucissimi uerbis modeste indicat. Nusquam amarulentus est, nusquam tragicus, aut nimium concitatus, & uehemens; sed æquabilis ubique, ubique mitis, atque religiosus: quanuis nunquam desmissus, nunquam languidus, sed semper fortis, sublimis, excelsus, Quamobrem Augustinum mitissimum patrem non uero Hieronymum, aut Hilarium, qui terrere magis, quam loqui, et lancinare uerius, quam scribere crebro' uidentur) sibi præ cæteris imitandum, & sectandum sumpsit. Scripsit Gregorius Nazianzenus de Moderandis disputationibus Orationem eruditam mea quidem sententia, & piam: eius præcepta, aut melius Aquinas re ipsa expressit, quam Nazianzenus uerbis; aut ego uehementer fal-

lor

Ior, & in re literaria nihil sum. Probra, scom-
mata, nigros sales, fannas, ironias, hyperboles,
in eius scriptis, quod in scriptoribus plerisque
de rebus etiam sacris, proh dolor cernere est,
nusquam reperies. Strophas, captiunculas, ca-
uillos, uitiosos elenchos, & malas artes quas
idem Nazianzenus non secus ac flagella, quæ-
dam ægyptiaca, male in Ecclesiam nostram ir-
rupisse iamdudum deplorat, ē suis libris omni-
no proscriptis. Araneæ telam (quod aiunt) nun
quam texit, hoc est figmenta uanalesq; & nullius,
frugis uel rerum, uel uerborum meditationes
quibus nonnullorum uolumina refertissima cō-
spiciuntur, grauissimus uir consulto omisit: ut
merito proinde lectatores illius in scholis Rea-
les iampridē, inepto fortasse uocabulo, sed ue-
re tamen dicantur. Ad hæc formulis illis lo-
quendi, quas cum ueterum Patrum, tum Gym-
nasiorum consensu, & auctoritate receptas cō-
probatasq; esse nouerat usus perpetuò est. Vo-
ces quæ minus latinæ delicatioribus uidentur,
frequētius usurpasse accusatur, quid tum? Equi-
dem non eas ipse primus peperit, aut effinxit,
sed natas iam, adultas, & scriptis multorum ue-
luti mirifico consensu Latio donatas proscribe-
re tanquam peregrinas noluit. Certe Augustis-

LIBER

„ nus Honoratum sic alloquitur, ne me ineptum
„ putes Græcis nominibus utētem, primum quia
„ sic accepi, nec tibi hoc aliter audeo intimare,
„ quām accepi . Acceperat autem & Thomas
eas uoces, ob quas indignātur in illum semilite-
rati quidam; nec aliter loqui ausus ipse modestis
simus est, quām acceperat . Nullibi ināqua-
lis, & nimius, nullibi (quæ omnia Arnobio Hie-
ronymus obiicit) absque operis sui partitione
cōfusus, sed distinctus ubiqꝫ, ubiqꝫ sobrius, & pu-
rus existit. Cum de principiis uerba facit, proli-
xior est, quemadmodū & Plato submonuit. Ea
uero' quæ ad Christianā pietatē nō attinēt, qua-
lia plura sunt, moleste cum Augustino nimis
tulit, cum imperiti quidam (animalia nimis
quæ nec ruminant, nec partitas ungulas habēt)
ad eandē referre conantur. Rationes a Natura,
Philosophisqꝫ petitas, cum uel sua statuēdo, uel
aliena refellendo affert: quæ rebus per se inesse
cernit, & intrinseca sunt, illis pratermissis, quæ
uel extranea ab eorum natura sunt, uel per ac-
cidens conuenire illis uidentur, subtiliter, & in-
credibili quodam iudicio semper expēdit; easqꝫ
nō numero (in Summa Theologiae præsertim,
ubi ex optimis præcipua tradit, & nihil est,
quod ad ostentationem, aut superstitionem tem-

dat) sed pondere, & uiæstimare, & magnis face-
re solet. Animaduertit uir eruditissimus, quod
quemadmodum miles nō omnia arma illa, quæ
domi habet, secum in aliquem pugnaturus desu-
mit; sed illa duntaxat quibus cōfodere hostem
fortiter possit: nec ad uictoriae cumulū, aut lau-
dem multum referre, si pluribus magis, quam
uno telo inimicum peremerit, ita prudentes au-
tores (quod Isidorus iamdudum pulchre do-
cuerat) non ubique sententias omnes, non om-
nes rationes, aut argumenta omnia, sed unum,
aut alterum efficax plane, & ualidum, loci, & in-
stituti rationem habituros afferre sāpenumero
confueuisse. Aristotelem & studio, & auctorita-
te Phylosophis reliquis omnibus, lōgo interual-
lo, cum recentioribus oībus, anteponere solet.
platonē, ut mihi quidē uidetur nō tā legit (quod
librorū illius unus aut alter duntaxat ea tēpesta-
te latinæ loquerentur) quam sumis labiis degu-
stauit. Quanquam ueteribus enarrātibus, in pri-
mis uero Aristotele, Cicerone, Simplicio, Euse-
bio, & Augustino, opiniones illius nōnullas per
belle agnouerit, & accurate explicauerit. Sed et
Laertii, Plutarchi, Græcorumq; quorundā alio-
rum libellos, quamplures diligenter euoluit;
ex eisq; attulisse nonnulla interdum uidetur,

LIBER

corum nominibus (quod ab inani illa citandi autores ostentatione libentius abstineret) superpressis. Quæ cum Cajetanum Cardinalem doctissimum, subtilissimumq; illius interpretem alicubi præteriissent, mirari ego nequaquam soleo, si nonnulla eiusdem Aquinatis uerba illi négotium exhibuerint; quæ multæ lectionis uiris, antiquitatis studiosis plana, & luculenta esse uidentur. Rabbi Mosem Aegyptium uirum eminentissimum, Auicennam, Auerroem, & cuiuscunque nominis illustres uiros, quorum uolumina, uel industria, uel prece, uel precio habere potuit, siue in Philosophia scripserint, siue in Dialectica, siue in Historia, & in aliis præclaris bonarum artium disciplinis uerius inhibisse, & in suum usum uertisse, quam legisse præclara illius corpora quā plurima testantur. Demūq; quod de Arist. Auerroes scribit nos de doctore nostro affirmare cōstanter possumus. Nihil cū absq; ualidissimis rationibus statuisse unquam, nihil absque testibus omni exceptione maioribus consultus pronunciasse. Sed ineptus omni no, atque imprudens merito uidebor si longius de præstantissimis, augustissimisq; scientiarum ferme omnium Antistitis huius monumētis uerba fecero. Est enim in illis ubique Thomas, hoc

est Abyssus, seu uerius Occeanus quasi quidam, nimirum diuinarum, & humanarum rerū, quā ad bene feliciterq; uiuendum nos magnopere iuuare solent. Quamobrem nullum eloquentiæ flumen, nulla orationis uis, nulla amoris industria non modo illum non exhauire; uerum etiam nec pro meritis, & dignitate, ullo unquam tempore complecti poterit.

Explicit liber secundus.



F. HIERONYMI VIELMII
VENETI SACRÆ THEOLOGIÆ
Doctoris, Episcopi Argolicensis,
ex ordine Prædicatorum
assumpti

ORATIO APOLOGETICA
Aduersus obtrectatores Theologiæ, præsertim
Scholaſticæ. Habita Patauii, cum inter-
pretandi Publicum munus olim
auspicaretur.

Anno M D L X I I I .



Vòd mihi nec apud im-
peritam multitudinē
modo' perorādum sit,
nec id genus argumen-
ti tractandum, quod e-
loquentiæ splendore
dūtaxat elucescat; sed
apud uos, Magistratus

grauissimi, Doctores clarissimi, iuuenesq; nobis-
lissimi, quanquam grandem materiam, meisq;
nec uiribus æquam sumpserim, recreor, & uehe-
menter etiam lator. Nā cū illa, ex ueritate pau-
ca, ex opinione multa æstimans, Sacram Theo-
logiā, tanquā Penia matre ortam, postremo lo-

eo, magna pertinacia pridem reiecerit; mihique
eum apparatus uerborum deesse sentiam, quo
præclari Oratores instructi, obscurum quodque
argumentum, & sterile, tanquā illustre, & fœcū
dum, splendida oratione prosequi solēt: merito
ægro, ac anxiō animo essem. Sed cū id mihi se
ſe argumentū præbeat, quod huiuscemodi uer-
borum fucus, & illecebras, non tam negligere,
quām etiā reculare, præ ſui amplitudine, & splē-
dore soleat, præcipueque in tam præclaro, erudi-
tissimoque confessu, gratulor ſanē, & Deo Opt.
Max. iusta uota persoluo. Etenī uel ipſa ueſtra
clementia, quæ maxima eſt, uel ipſius argumēti
præſtantia, quā non niſi balbutiēdo exprimi poſ-
ſe, ipſi excellentes ingenio uiri testātur, ueniam
facile mihi ſpondent, ſi illius magnitudini, ſi au-
gustissimo huic loco, ſi ueſtræ de me expectatio-
ni, ſi denique uoti perantiqui mei honesto deſideſ-
rio, aliqua ex parte, quod mei ſimilibus euenire
ſolet, deesse uidear. Accedit quod instituti
ratio modo non eſt, illius laudes, aut encomia
persequi, quod illa, præ ſui maiestate, melius ſilē-
tio, quā oratione laudari queat; ſed eius obtre-
ſatoribus respōdere, præcipueque iis, qui Theo
logizādi genus hoc Scholasticū, quod profite-
ri, demādante Senatu nostro ſaintissimo, in præ-

Senti auspicamur, non modo non attingunt, ue-
rum etiam maledictis quā plurimis conuellere,
ac ineruditis auribus, tanquam inuisum, & infa-
me obtrudere sāpe conantur. Quorum petulā-
tiam & procacitatem, non quidem pro Theo-
logiā nostrā dignitate retinenda, aut existima-
tione apud uos, uiri doctissimi, quod esset super
uacaneum, comparanda; sed iuuandæ iuuentu-
tis gratia, præsenti oratione, ueluti apologia
quadam pinguiori (quod aiunt) minerua, retū-
dere ac ueluti digito commostrare, & ostende-
re conabor. Nam quemadmodum pictores il-
lustrant lucida, appositis obscuris & umbris; ita
propositis obiectiōibus, quæ contra illam af-
ferri solent, & certo ordine dissolutis, quadante
nus etiam illa splendidior, & augustior appare-
bit. Vos interim *Doctores*, omni uirtutum ge-
nere ornatissimi, me ut attentē audiatis, etiam
atque etiam rogo. Nisi enim sexennium uestris
fuissem institutus auspiciis, neq; amplissimum
hunc suggestum concendere, neque altissimis
de rebus tam accurate differere aliquando po-
tuissem.

In duo genera potissimum mihi diuidi posse
uidentur, qui de humano genere optimè meri-
tam Theologiam, cæco ac temerario ausu ops-
pugnare audent; in quorum altero, ~~ad hanc~~ illos ~~ad~~

repouimus; qui aut Deos ē medio sustule
 runt; aut non curare humana impie afferuerūt;
 atque adeò Theologiam superuacaneā & prot-
 sus inanem esse ducunt; & instar eorum, qui ad
 uersa ualeitudine oppressi, nihil cibi stomacho
 retinent, eas euomunt uōces: Quæ supra nos, ni-
 hil ad nos: & Cum sis mortalis, quæ sunt mors-
 talia cura; & demum: Nihil scire felicissima ui-
 ta. In reliquo paulo minus insinuantes illos, qui
 utilem quidem illam, & hominum coetui neces-
 sariam uerbis illustribus etiam prædicant; sed
 tamen genus hoc, quod uocant Scholasticum,
 quod nobis maiores nostri, Christianæ religio-
 nis columina reliquerunt; quod inquirendo, di-
 sceptando, statuendo, & confutando progrediv-
 tur, dum uel, ocio indulgentes ac uentri, nō asse-
 quuntur, uel ad māsuetiora illa, ut aiunt, studia,
 quæ ego steriliora appellare soleo, animum in-
 tendunt; aut nudum duntaxat sanctarum scrip-
 turarum cōtextum, nihil præterea, uel eruditio-
 nis, uel explanationis gratia admiscentes, r̄ hetor-
 icis latciuentes flosculis expendunt; rem gra-
 uem scilicet ridiculi homines, modis lydiis ef-
 ferre studentes, quanta possunt copia, & uehe-
 mentia improbant, & detestantur: Non intelli-
 gētes(ut inquit Paulus)quæ loquuntur, neq; de

quibus affirmant. Et ii seipso solos, si Diis pla-
cet, Theologos uocant, nos uero Theologa-
stros; eruditos seipso, nos autem ignaros; seip-
sos uenuste probeq̄ loquentes, nos infantes, &
elingues; seipso demum tanquam **D**eorum
conuiuio acceptos, nectare, & ambrosia uesci,
nos rudi auena, & carduis pasci contendunt.
Quibus fortasse iis Iobi uerbis occurrere satius
foret; Ergo uos estis soli homines? & uobiscū
morietur sapientia? O uos felices & plane bea-
tos; & Pauli, Non enim qui scipsum commen-
dat ille probatus est, sed quem Deus commen-
dat. Sed tamen eorum argumenta non omnia
quidem, (quis enim omnes illorum ineptias re-
censere dignetur?) sed præcipua quædam, in
octo capita a nobis ordine quodam distincta,
qui uel aduersariis, iuxta Seruatoris nostri man-
datum, aliquid lucis, & commodi afferre possit,
expendere; & prioribus utcunque reiectis, tem-
poris, & loci rationem (ut potero) habiturus,
eisdem exacte respondere conabor.

Sunt igitur qui Scholasticam Theologiam
primum accusant, quod in disserendo præposte-
ro utatur ordine, nempe quæ, a Deo Opt. Max.
exordium sumens, ad creaturarum contempla-
tionem subinde deueniat; cum tamē per has, tā

quam nobis magis cognatas atq; familiares, ue
luti per scalam Patriarchæ Iacob, aut per annu
los catherinæ Homeri ad superiora cōscendisse,
in Deicō notitiam deuenisse, præclaros quoq;
Philosophos conspiciamus.

Secundò, quod de Deo breuissime & plane
perfunctorie tractationem absoluat, indeq; ad
creaturas pertransiens, singula quæq; usque ad
satietatem morose expendat, ut non tam Theo
logia quam naturalis Theoria dicenda ui
deatur.

Tertio, & hic pandite Helicona Deæ; patet
enim latissimus campus petulantissimis illorū
ingeniis in nos debacchandi; sordidos, & incul
tos, omnisq; literaturæ politioris, prorsus ex
pertes Theologos Scholasticos uocant, indi
gnosq; esse latinis & bene institutis auribus fre
quenter inculcant; atque dum unius, aut etiam
alterius illorum, spurcas aliquot, uel etiā igno
ratas uoculas, in medium suorum hominum
theatrum produixerint, & denudauerint, ru
ditatis, & oscitantiæ criminè uniuersum Theo
logicum ordinem arguunt, explodunt, dam
nantq;. Quibus alii eiusdem classis, & stu
dii: Pares enim cum paribus, ueteri proverbio
(inquit Plato) iucundissimè congregantur :

Elegiacis, iambicis, aliisq; id genus carminibus,
panegiricis, & gratulatoriis, tanquam bonarū
literarū uindicibus, & restauratoribus Io Pæan,
mirum quām libenter, acclamat.

Sed hic minime sistunt, obscuram præterea
illam, & tenebris circunfusam undiq; clamitāt;
ut quemadmodū prisci gentilium sacrifici pro-
phanos ab Eleusinarum Dearum arcanis pro-
pulsare solebant; ita eos uerborum tenebris, sen-
suumq; inuolucris, a nostris mysteriis arcere
consulto uelimus: quod Themistius magni in-
ter Peripateticos nōminis, æquum non esse ar-
bitratur; sed id maxime in rebus difficultibus ob-
seruandum esse docet, ut ea, quæ suapte natura
obscura, & perplexa uidentur, uerborum luce
& splendore adhibito, uindicentur a tenebris.
Et Arist. docet debere eum, qui definit, quām
potest apertissima interpretatione uti, quando
quidem cognoscēdæ rei causa definitio datur.

Ad hæc, Sophystas nos & litigiosos, crebro
appellare solent; quod nodum quoque in Scyr-
po, uel ostentandi ingenii, uel etiā quæstus gra-
tia, sæpe quæramus; quales suorum temporum
Sophystas fuisse Plato describit, cum uel ipse
Paulus prophanas uocū nōuitates, stultas quæ-
stiones, & genealogias suos uitare iubeat; ni-

miumq; altercando ueritatem plerunque amitti contingat.

Sexto, quod ueluti in Ecclesiasticæ pacis perniciem, in tot sectas diuisi simus, nempe in Albertistas, Thomistas, Scotistas & id genus præceptores referentia nomina, in quorum uerba iuramus, execrabile esse ducunt; eoq; partium studium, & dissensionum ardorem creuisse aiūt, ut perēni scripturarum fonte intermisso, ab his tantum riuulis, aut etiam cisternis dissipatis, aquam petere populum cogeremus. Indeq; præclara illa elogia, Angelicus, Magnus, Subtilis, & reliqua, quibus illos passim effe rimus, diminasse contendunt: Quæ sanè studia quam indecora Christianis hominibus duxerit Paulus, Corinthiis satis luculenter expressit.

Septimo perstrepunt belli homines, & tanquam ignauii galli, ut inquit Plato, antequam uicerint cantant, & nos lesæ maiestatis reos esse accusant, quinimia Physicorum consuetudine utimur, & præsertim Aristotelis, quem etiā regnare in scholis nostris, aliis explosis, uolumus; eumq; in authoritatem tanquam Dei a se cretis recepimus; & tamen Paulus ait, Videte ne quis uos decipiat per Philosophiam. Et alibi; Stultā fecit Deus sapientiam huius mundi.

Ex quo factum esse postremo aiunt, quod non tam multos, Diis ipsis inuisos gigantes, terra olim progenuerit, ac summo omnium opifici & parenti Deo rebelles hæreticos Scholastica ipsa Theologia. Quamobrem uniuersam malorum colluuiem, quam hisce calamitosis temporibus, magno Christianæ religionis incommodo patimur, eidem acceptam referri debere contendunt.

Hisce & multis aliis, non tam argumentis quam maledictis, nō tam rationibus quam probbris, non tam accusationibus quam calumniis, labefactādæ Theologiæ gratia, imperitos adolescentes decipere, & ueluti quibusdam præstigiis seducere tentant; Quibus pro officio sigil latim respondere decreui. Etenim quanquam particulares artes, & scientiæ contra sua demolientes principia, disputare, eorumq; rationes dissoluere nequeant, supremæ tamen (cuiusmodi Theologia est) cum eorum confutare argumenta, tum aduersus illos differere, præcipue si in uniuersum principia non negent, & planè certare possunt. Quare ut nonnulla aduersus impios illos primæ classis prælibauero, tum demū in hos Thrasones, non tam tela nostra intendā, quam eorum arma retundam; daboq; necessis-

tudini, quæ inter nos Christi sanguine parta est, & institutioni meæ, atque consuetudini, ut rationibus argumentisq; tantum, non probris & iurgiis, quām fieri poterit, etiam luculentius, institutum opus absoluam.

Similes igitur Diabolo, priores illos recte quispiam esse putabit, qui humani generis assertori, ac vindici, ut se deorsum mitteret, suadere uolebat. Etenim, dum, Quæ supra nos nihil ad nos; & Mortalia sola curanda prædicant, quid aliud rogo, aiunt, quām mitte te deorsum? Cōtra uero Paulus clamat: Quæ sursum sunt, quærите, non quæ super terra. Quanquam enim depereat humanus animus entia omnia, maxime tamen auet suprema; quæ et si pro sua, qua detinetur, imbecillitate leuiter attingere possit, magis tamen tam excellenti cognitionis genere oblectatur, præ ea, qua cedula hæc, sibi propiora, & familiariora, pleniū & intimius perscrutatur. Quod ueluti typus scriptura ostendere mihi uidetur, quæ Jacob illum adamasse magis, & deperisse pulchrā quā uis sterilem, ipsam Rachellem, præ fœcūda quidem (uerum non æque formosa) sorore Lyate statur. Et hæc fortasse cœlestis est illa Platonis Venus, terrena Venere lōge præstātior: hæc ce

lebris illa mors nostra, animæ uidelicet a corpo
re quouis tam utilis, & felix, disiunctio ; & per
contemplationem, cum sempiternis numinibus
copulatio. Quomodo igitur o' curuæ in terris
animæ, innatae huic cupiditati nostræ satisfa-
ctum aliquando iri recte putabitis, è medio sub-
lata diuinorū Theoria omni, atque adeo Theo-
logia? Quomodo non irridebitur natura atque
etiam prouidentia ; quæ hominem cœl Proteū
quēdam, aut etiam Vertumhum propterea fin-
xit, ut dum sensibilia sentiendo, intelligibilia in-
telligendo effici curat, supremum tandem intel-
ligibile contemplando euadat? Neque enim na-
tura eiusmodi eum finxisset, ut ea quæ infra il-
lum sunt duntaxat contemplaretur, atque ad-
eo deteriora se euaderet; sic enim finis, neutique
præstantior esset ; sed cogitandum potius ut is
fuerit prouidentiæ scopus, quod hominem pro-
piora hæc entia primū lustrari, in eorumq; for-
mas uerti uoluerit, ut iis ueluti alis quibusdam
instructus, & certo quodam lumine purgatus,
atque dispositus, tum demum ad superiora, &
quam maxime ad primum, in cuius contempla-
tione sua sita est felicitas, & beatitas facile cō-
scendere posset ; Deusq; eminentiori quodam
modo euaderet. Fit enim ex intellectu, & intel-
li-

ligibili uerius unum; quam ex anima, & corpo-
re hoc, quod cernitis iuuenes. Paulus attestat-
ri uidetur cum ait: Qui adhaeret Deo, unus
spiritus fit cum eo: & Dominus, ut sint unum,
sicut & nos unum sumus. Quomodo igitur,
Quæ supra nos nihil ad nos; & curanda mor-
talia sola? Quomodo nihil scire, uita non mi-
serrima, & turpissima est, tantum abest ut sit
fœlicissima, alioquin cur ille sapientiam præ-
posuit regnis & diuitiis? Cur David, quod
plura maioribus intellexerit, exultabat? Cur
Solon Atheniensium legislator secundus, di-
cebat referente platone, Discenti assidue mul-
ta senecta uenit; Cur Theophrastus moriens
naturam, quod tam exiguum uitam homini-
bus dederit (quorum maxime interfuisset)
nisi philosophandi gratia accusauit? quod mihi
& Magnus Hippocrates suggestere plane ui-
detur, quando, Ars longa, uita breuis, &
quæ sequuntur, ait: Inepte igitur quidam fœ-
licissimos illos duxit, quibus prorsus licuit ab
omnium disciplinarum commercio abstinere.
Ergo ne Pythagoras, Plato & cæteri philoso-
phi, qui tam magnam orbis partem, magnis
uitæ incommodis, dispendiis, addiscendi gra-
tia peragrarunt, non nisi ut miseri & infœlices

euaderent, ea incommoda subierunt? Atqui
quomodo ab Esaia, & Paulo, inter dona spiri-
tus sancti, sapientia connumeratur; & à Deo
nos illam efflagitare edocuit Iacobus? Face-
sant igitur tam impii rabulæ: atque si qui sunt,
qui à probè instituta republica improbos homi-
nes candoris gratia unquam exegerint; hos nō
tam in Deum injurios, & Christianæ religionis
hostes, quām etiam cuiuscq; præclaræ philoso-
phia aduersarios exigant, hos profligent, de-
perdant, & ad perniciem deducant; Relecādæ,
inquit Hieronymus, sunt putridæ carnes, & sca-
biosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus
massa, corpus & pecora ardeant, corrumpan-
tur, putrefiant, intereaut. Neque enim pectora
tantis obsessa malis sunt icta ferienda leui, sed
immedicabile uulnus ense recidendum est. Ve-
rum religio, mihi credite, est cum his amplius
agere; qua re ad alios iam me uerto.

Et primum illos percundabor, cum ab uni-
tate ad numerum & multitudinem progredien-
dum esse natura doceat; cur increpandos Theo-
logos arbitrentur, qui à Deo ad creaturas, tan-
quam per gradus, & subtellia quædam minora,
pulcherrima methodo uenuste descēdunt? Nec
me latet à principio rei inchoandum semper

non esse, sed unde quispiam commode, & facil-
lime discere potest, nempe à prioribus nobis, &
magis notis; attamen rogo, quid homini Chri-
stiano, quem præcipue Theologus noster insti-
tuit, Deo Opti. & Max. notius & plane propius
esse debet? Non' ne in orthodoxa schola primū
id elementum docetur: Credo in Deum patrē
omnipotentem, creatorē cœli & terræ? Non' ne
Paulus, cum ait: Ignorantiam Dei quidam
habent, quosdam tanquam ~~τύπανα φυλάρητας~~, notat?
Fortasse prophanis hominibus creaturæ notio-
res existunt; Verum enim uero, nihil Christia-
no homini, aut notius, aut antiquius Dei noti-
tia, quam a' cunabulis fide suscepit, esse aliquo
modo potest. Accedit quòd uti Maximus ipse
Deus, seipsum cognoscens alia intuetur, ita
Theologus noster, qui eundē referre, & quibus
potest modis exprimere cupit, à Deo ad crea-
turā, tanquā à montis uertice, ad radicem de-
scēdit, & rursum ueluti præpetibus pénis instru-
ctus, ī sublime se tollit; ut Theologiæ nostræ
ordo similis sit motui primæ spheræ quæ ab ori-
ente in occidētē conuertitur; Philosophorū ue-
ro methodus orbibus planetarū, qui contrario
fere motu ciuentur. Quāuis diuinus ille Plato,
eodē quo & nos ordine, interdū progrediatur.

Y ii

Sed cum non tam creaturas quām creato-
rem in creaturis , tanquam in speculo contem-
pletur , quæ rogo dementia est , hoc nomine ,
quod creaturas diligenter expendat , illum tra-
ducere uelle ? Adhæc cum naturalia , effectus ,
subiecta , & imagines sint diuinorum ; nega-
ri recte non potest , quin ad Dei notitiam ube-
rius hauriendam quadantenus facere queant .
Cumq̄ fides plurima nos naturæ arcana , phi-
losophis etiam antea inaccessa edocuerit ; quid
mirum si naturalium quoque rerum cognitio ;
in enodandis , explicandisq̄ illius mysteriis , in-
terdum humano ingenio ancillatur ? Atqui
Plato quoque , & Pythagoras olim , referente
Simplicio , sic naturalia tractarunt , quatenus
diuinis participabant rebus , nec enim tam ma-
gnum chaos est inter illa ; ut commode ab una
in alteram classem pertransiri nequeat , mu-
tuasq̄ sibi dare operas non possint ; quanquam
Aristoteles nusquam uelit à natura discedere ,
sed etiam dum assurgit , quæ naturam exce-
dunt , per habitum naturalem speculari ma-
uult . Præterea quomodo spinosæ illæ , mul-
torum hæreticorum de Deo sententiae propter
creatrarum errorem & inscitiam subortæ ,
commode & opportune , absque creaturarum

tractatione, aut succidi, aut euelli a Theologo poterunt? Iam uero nequaquam naturalis Theoria, sed diuina haec contemplatio dici meritur, quæ diuino lumine illustrata creaturas ad Deum tanquam subiectum perpetuo refert, & speculatur.

Cæterum cum magnus ille Artaxerxes Persarum Rex, balbos & indertos homines in colloquium, non tantum admittere, sed etiam accersire interdum soleret, ut maiore uoluptate, disertissimos, & facundissimos oratores postmodum loquentes audiret; ea est tamen aduersariorum importunitas, Auditores, & plane malus genius, ut eruditas aures ea uoluptate frui aliquando nolint, dum non nisi latiane aut etiam græce linguae meras delitias, illas auscultare patiuntur. Sed agite, uideamus, an recte sordidos nos, & balbos homines uocent. Neminem sane tam habetis socordisq; ingenii aliquando fuisse existimabo, qui eloquentiam cum sapientia coniunctam, non magnopere etiam laudarit; quanquam eloquentiam sine sapientia nimium obesse plerunque, professe nunquam, uel ipso Cicerone authore, dignoscitur. Sed quemadmodum alia est eloquentia (inquit Augustinus) quæ senes, alia

18
quæ iuuenes decet (nec enim eloquentia ea di-
cenda est, quæ personæ nō congruit eloquētis)
ita alia est, quæ Theologum, alia quæ Rheto-
rem, quod ii minime expendunt, decet. Siquidē
Paulus, se annunciare quæ a Deo donata sunt
nobis, non in doctis humanæ sapientiæ uerbis,
sed in ostensione spiritus, & uirtutis testatur. Et
mox quasi miro artificio, aduersarios imperi-
tiæ & leuitatis suggillans, Spiritualibus, inquit,
spiritualia cōparantes. Perinde ac eos hunc in
modum amicè compellaret: Vesta sane sapien-
tia, fratres, humanis uerbis explicari desiderat,
quæ coloribus sunt picturata, numeris instru-
cta, diligentia exornata; sed nostra, quam a diui-
no spiritu nanciscimur, huiusmodi uerba recu-
sat, & ea, quæ sunt absq; fuco, sine dolo, pura,
simplicia, casta, in affectata, duntaxat requirit.
His recondita illa spiritus sancti secreta, non
tam ego de prompsi, quām alios quosq; etiā ex-
plicare uolui; cui Cyprianus hunc in modū ali-
cubi subscribit: In iudicii, inquit, contentione
pro rostris, opulēta facundia, uolubili ambitio-
ne iactetur; cū de Domino, ac Deo uox est, uo-
cis pura sinceritas, non eloquentiæ uiribus nitit
ad fidei argumenta, sed rebus. Cum igitur
Theologus ad Demosthenis, & Tullii officinā

& incudem, eloquētiā suam minime probet,
 sed ad ipsam sanctarum scripturarum simplici
 tatem & puritatē, quā & si grandiloquum illū
 sonum non buccinent, sed exilē potius & infir-
 munū; ea tamen introrsus maiestate & uirtute,
 tanquā cœlestes Sileni, & Spiritus sancti orga-
 na præditæ sunt, ut non tā præ aliis rectius do-
 ceant, penitus delectent, facilius persuadeant,
 quām etiā magnarū sint effectrices uirtutū; ut
 per eas cæci uideāt, claudi ambulent, surdi au-
 diant, & demū mortui resurgāt; profecto' non
 tam incultus, quām simplex, non tam sordidus,
 quām nō affectatus, nō tam exilis, quām purus
 merito' uocari debet. Accedit, quod nō latinos
 tantum & gracos, sed Scytas quoq; & Afros,
 sed sapientes & paruulos, eruditos uidelicet &
 ignaros, promouere & instituere satagit: atque
 adeo illius dictionem & phrasin omnibus accō
 modari, & ueluti rete in altum ad capiendum
 omnes extendi, operæ preцium fuit. Adhæc: dū
 Philosophos expugnat, hæreticos deuincit, im
 probos cohercet, bonos complectitur, neutiq;
 eloquentiæ uestræ uiribus factum, sed mole &
 pondere ueritatis fateri cogimur; ut quod Hie-
 rony. de Scripturis, nos de toto Theologiax ge-
 nere dicere possimus; Est in uerbis simplicibus

semper sensus augustior; & quidem quod minus uerborum illustrium, hoc grauiores sententias; quo minus foliorum, hoc fructuum uberiorem copiam habet; quo in cortice crassior, hoc in medulla suauior, Et si imperitus sermone, inquit Paulus, non tamen scientia. Postremo, ut ex Poetis & Oratoribus uerborum splendor, a Philosophis naturæ cognitio, ita propemodum à Theologo integra Christianæ pietatis sententia, rectaq; ad bene beatęq; uiuendū præcepta tantum sumenda sunt: hæc ut exhibuit, suo ille functus est officio, nec potest eloquentia ab eo prudenter desiderari, sicut nec ab olea ficus, nec à uinea mala. Cæterum sapientissime plato, cum de re agitur, frustra (inquit) elegantiam, aut ruditatem uerborum attendimus. Et alius; In his scriptis, in quibus rerum cognitio queritur, non luculentæ orationis lepos, sed incorrupta ueritas exprimenda est. Quare iniqua est horum quarela, Auditores, quam etiam grauissimis argumentis olim maior Picus palam traduxit; quæ nos in præsenti (ne acta ageremus) minime attingimus, paucis his nostris abunde uobis factum iri putantes.

Proinde si sapientum mos est uerba onera-

re

re sententiis, quæ (ut inquit Plato,) natatorem,
 qui se ad profundum usque immerget deside-
 rant; minime mirum est, si tam preclaras, recon-
 ditasqe Theologiæ mysteria uerbis etiam quam
 maxime illustribus explicata, hominibus hisce
 tardis & molibus obscura uideantur. Nam &
 Simplicius Veteres obscure, & inuolute illorū
 dogmata scripsisse testatur, ut imperitum scili-
 cet uulgas, & homines tardos, ab eorum lectio-
 ne propulsarent. Et de Aegyptiis simile quid
 Iamblicus quoque refert. Et Religionis nostræ
 Principibus datum fuisse in Euāgelio legimus,
 Dei secreta altius haurire, & penitus rimari,
 cæteris uero primis tantum labris, in parabolis
 uidelicet, degustare. Etenim si omnia æque no-
 ta, ac perspicua omnibus essent; quomodo ex-
 perientia, industria, studio, exercitatione; quo-
 modo denique Spiritus sancti imploratione, cu-
 ius afflatus, inquit Petrus, tam sublimia hauriun-
 tur & interpretantur, opus esset? Quomodo pa-
 stores, & doctores, aut etiam Ecclesiam genitri-
 cem nostram consuleremus? Ut interim fusius
 non prosequar, quod Augustinus compendio
 docet, obscuritatem hanc, scilicet in sanctis scri-
 pturis, Theologisqe dogmatibus diuinitus esse
 prouisam, ad edemandam labore superbiam, &

Z

98

intellectum a fastidio reuocandum, cui facile in
uestigata plerunque uilescent. Igitur (ut breui-
ter absoluam) cum Deus lucem nobis habitet
inaccessibilem, sitq; modis omnibus incompre-
hensibilis, atque ineffabilis, non potest a Theo-
logo tam dilucide tamq; præclare tractari, quin
captum nostrū semper altius superegrediatur.
Quare quanquam pulcherrima sit Scholasticæ
Theologiæ methodus, quæ superuacanea ubiq;
rejicit, necessaria non adimit, cuncta, boni coqui
instar, ut ait Plato, in articulos recte dissecat, ap-
te diffinit, & exacte demonstrat; fieri tamen ne-
quit, ob subiecti amplitudinē, atque præstantiā,
ut cum ad montis uerticem cum Moysē uenes-
rit, non adhuc caligine perfundatur, ut semper
hic uerum sit, quod Dionysius ait: Deo tan-
quam ignoto coniungimur, ut potius imbecil-
itas nostra, quam artis industria culpanda ui-
deatur.

Iam uero cum nos sophystas, & litigiosos
uncant, modestiam suam produnt, & quidem si
de Asini (quod aiunt) umbra, Auditores, quem-
admodum illi factitare solent, disceptaremus;
profecto sophystas nos, & litigiosos merito uo-
carent: at cum de amplissimis, cum diuinorum;
tum naturæ secretis, ex his quæ diuinitus, uel e-

tiam humanitus edocemur , non tantum affe-
ctiones & proprietates uenari , uerum etiam
causas , & naturas disquirere , non in uulgi,
aut puerorum theatro , sed in Theologorum
coronis , in confessibus sapientum , mutuis cō-
gressibus & inuestigationibus, cæterisq; Scho-
lasticis exercitiis, quibus rerum ueritatem, cum
ex Democriti puto , tum ex antro Heracliti,
eruere sæpe solemus ; non sophystas, sed candi-
datos , non litigiosos , sed diligentes , non mo-
rosos , sed perspicaces existimare debuissent .
Accedit , quod uti gymnastica , corpora fir-
miora redduntur , ita palestra literaria ingenii
uires uegetiores euadit , atque etiam una cum
literis natare , hoc est , non tam leuiter , ut illi ef-
futire , sed ad multa prius respicere , & exa-
ctius singula perpendere , iuuenes nostri addi-
scunt . Postremo huc nos Porphyrii , Celsi , Li-
banii , Iuliani , multorumq; cum Philosophorū ,
tum Rhetorum argumenta , atq; cauilli ; huc Ar-
rii , Sabellii , Nestorii , cæterorumq; hæreticorum
pertinacia , & procacitas compulerunt ; ut inter-
misso plano illo , & splēdido theologizādi gene-
re , quo maiores nostri ut solebāt ; acutū , breue ,
& acre genus istud , multo sanè ad minus cū
illis pro ueritate pugnandum promptius , at-

que efficacius cōplete remur : atq; adeo (proh
dolor) altera tantum manu , templum Domini
ædificare, reliqua uero, nos liberosq; nostros,
breuibus hisce pugionibus , ab inquis hostibus
defendere cogeremur. Quorum etiā improbi-
tas, inquit Athanasius, contra insolentes quæ-
stionum illorum nouitates , rebus immutabili-
ter permanentibus, nominum uocabula muta-
re, & significantius rerum naturas exprimere
nos adegit. Ergo non prophanas uocum noui-
tates sectamur, ut calumniantur, cum scripturis
sacris ea quæ docemus nō aduersentur; nec mul-
tum altercando ueritatem amittimus, quòd or-
dine & modo, inter nos disceptationes nostras,
absoluere consueuerimus.

Non minori etiam leuitate feruntur, quando
nos in multas, non tam classes quam sectas, con-
tra Pauli præceptum diuiños esse affirmant .
Nam si de christianæ pietatis sacro sanctis dog-
matibus asseuerant , pura hæc est calumnia &
mera impostura; si uero de iis , quæ de Naturæ
cōtemplationibus, aut dialecticis, uel etiam me-
taphysicis loquantur , profectò non tam nos
quam disciplinarum omnium professores accu-
sant. Quorum uel etiam modestissimi qui que in
ter se neutiqam conuenire uidetur: præcipueq;

philosophi, qui ab ipsis quoque philosophiae incunabulis, aut inquirendæ ueritatis gratia, aut ob eorum a quibus instituti fuerant, beneuolā obseruantiam diuersa & plane contraria, non absque consilio tamen, & rationibus, uti ferē uulgaris solet probare noscuntur. Tres, inquit ille, mihi coniuiae prope dissentire uidentur, possentes uario, multum diuersa palato. Atqui non quemuis temere doctorem, & citra deleatum, quisq; nostrum sibi sequēdum proponit; sed præcipuum quendam, & classicum, qui eruditio nis splendore, tantum reliquis præstet, quā tum sol syderibus omnibus. Ut enim, quod ait quidam, plures urbes perlustrasse pulchrum est, unam uero optimam incolere expedit; ita plures authores perlegisse prodest, unus tamē habēdus familiaris, qui aliis præstet; Alioquin peregrini est multa habere hospitia, & paucas amicitias; & fastidientis stomachi est multa degustare. Nec in præceptoris uerba iuramus, quemadmodum ueteres Pythagoricos factitas se legimus, quibus ~~au~~tos ~~au~~to, pro ratione habebatur. Nos enim cum Augustino solis Canonis libris hunc honorem recte deferimus, ut neutquam quæ inde efferuntur, ad ingenii nostri trutinam, uel eruditio nis nostræ cotem quouis

modo probari patiamur. Reliquorum non tam authoritati, quam rationibus, non tam nomini, quam probe expositæ ueritati, quod recte consult Arist. assentiēdum fore putamus: Quibus insignis doctrinæ gratia, qua de Christiana Re publica benemeriti semper existimati fuerunt, tantum authoritatis tot seculis Catholica Ecclesia detulit; ut eorum aliquos, præcipueq; Aquinatem Thomam, quem ego sequor, publico edicto probarit; eorumq; testimonia clarissimi quicq; uiri, quoties commodum est, minime citare grauantur. Nil igitur mirum, si eos secundo loco colimus, suspicimus, efferrimus, ac ueluti tutelares nostros Deos, & propitia numina ueneramus; Per quos tanquam Dei a secretis, & fidos illius interpretes, ad sanctarum scripturarum hauriendam intelligentiam, spretis (ut par est) hæreticorum, & uanissimorum hominum commentis, Christianum populum, splendidis illis titulis, quadantenus, eorum amplitudinem indicantibus, non tam accersimus, quam etiam iuxta mandatum domini compellimus.

Sed accurritenunc omes augures, aruspices, nouum portentum conspicite; nimia cum Philosophia Theol. Scholasticis affinitas, & necessitudo est, quam tamen Paulus passim irridet et

uetat. Hic Auditores, non deprōmam, Paulum
 Philosophorum atq; poetarum testimoniis in-
 terdum usum fuisse. Non excutiam ueterum
 Theologorum scripta, quæ fusius Hierony. do-
 cet, Philosophorum sententiis passim esse refer-
 ta. Non hic Augustinum commemorabo, qui
 scripturarū exemplis ad philosophiæ, historiæ,
 cæterarumq; bonarum artium studium nos ad-
 hortatur. Præterea Gregorium Nazianzenū,
 qui philosophiæ etiam laudes, summa eloquen-
 tia alicubi persequitur; uno tantum Pauli testi-
 monio peregregio atq; clarissimo aduersario-
 rum procacitatem retundam, qui Philippenses
 suo instituens, non tantum nudum Euangeliī
 corticem, quod tunc forte nullum scriptum e-
 rat, sed quæcunq; uera, quæcunq; pudica, quæ-
 cūq; sancta eos cogitare monet. Proinde, si phi-
 losophia est; sapientiæ aut cōparandæ, aut reti-
 nedæ studiū bonitatis, amorisq; diuini, erga
 nos, monimentum præcipuum; profecto, quæ ab
 ea proficiuntur, nō nisi casta, uera, & sancta, chri-
 stianæq; pietati prorsus cōsentanea esse necesse
 est; uero nanq; uerū ubiq; cōsonat. Quare iure
 ac merito Augustinus ait: Illud quidem, quod
 ueritas patefacit, libris sanctis, siue ueteris, siue no-
 vii testamēti, nullo modo potest esse aduersum.

auditiorum

Igitur qui philosophia^e studia aliquid, quod Religioni nostræ officiat, secum afferre putant, ue
hementer, mea sententia, errant. Veritatem nā
que utraque studia se^tantur. Quæ tamen ita
inter se discrepare uidentur, ut philosophia na-
turæ lucernam ubique oleat; Christiana pietas
diuino splendore semper effulgeat; hæc splendi
dissimilis orta natalibus, in summum ipsum Deo
rum genus suum proxime refert; illa uel a maio-
ribus nostris rerū causas præ admiratione scru-
tantibus, uel a Theuto illo Platonis Demone
adinuenta, quam nostra uere libera, atque om-
nium disciplinarum domina, in famulitium, nō
sanè indiga, sed nostri tantum gratia interdum
accersit, ut ueluti per eius manus, rude quodam
simulachrum effingat, quod ipsa postea perpo-
liat & absoluat: non quidem quando nos in
Christi militiam primum cōscribit (tunc enim
non subtilitate argumentorum de industria dia-
lecticæ artis ueniētium, ut inquit apud Athana-
sium Probus, sed puris, simplicibusque scriptu-
ræ documentis robustius fulcienda est) uerum
ut olim receptam, penitus modo intelligamus,
& intellectam fortius ab improbis hominibus
defendamus. Quamobrem quæcunque Philo-
sophia uel de natura sapienter definit, uel de
moribus

moribus prudenter differit, uel de Metaphysi-
 cis subtiliter disputat, Theologo non tantum
 non aspernanda, sed illustranda, & comproban-
 da uidetur. Neque enim naturam fides nostra
 auersatur, sed perficit, sed euehit. At qui erro-
 ris illorū causam hanc facile esse putabo, quod
 si, quicquid ab Aristotele, aut etiam platone,
 qui Philosophorum præcipui non iniuria cen-
 sentur, quorum pleraque dogmata sacro san-
 ctæ religioni nostræ aduersari perspicuum est,
 aut enucleatum, aut assertum fuisse consipex-
 rint; mox, tanquam è Philosophiæ penu, atque
 etiā sinu prodiisse arbitrantur. Sed ut hos Phi-
 losophos interdum errasse, non eo inficias, ita
 nō tam ut Philosophiæ sectatores, & studiosos,
 quam ut ab ea deuios, & profugos hallucinatos
 fuisse existimabo; quam non omnino Paulus ue-
 tat, sed eam duntaxat, quæ circumforanea, &
 circulatoria esse studet, idest, quæ sapiens, non
 tam esse, quam uideri cupit; quales fuisse Hip-
 pias illos, Protagoras, Prodigos, Eutymemos,
 & alios quam plures antiquitas ipsa prodit.
 Quod si aliquando stultam illam appellat, uel
 ad diuinam nostram sapientiam eam confert,
 uel cum extra naturæ fines egressa diuinam ri-
 dicula oppugnare audet, intelligit. Cur autem

A a

præ aliis Philosophis, Aristotelem Theologorum scholæ suspiciant, is tantum hæsitare posse mihi uidetur, qui illius in eruendis naturæ abditis industriam, in statuenda ueritate robur, in confutandis aduersariis copiam atque acrimoniæ, in diuidendis illustris scientiarum generibus ordinem & diligentiam, in tractandis illis (ubi censet) facilitatem, & perspicuitatem, in uerborum demum obseruanda proprietate perpetuitatem non obseruarit.

Atqui, & illud postremo, attentius atque penitus erat iis aduersariis nostris considerandum, multos atque eosdem insignes admodum hæresum expugnatores, temporibus omnibus, ex ipsis Philosophorū scholis prodiisse: Ex quibus, Basilios, Gregorios, Cyrillos, Didimos, ex græcis; & latinis Cyprianum, Hieronymū, Augustinum, & Thomam recensere possem, innumeris penè aliis omissis, quorū memoriam, nulla unquam delebit obliuio, non Iouis ira, non ignis, nec poterit ferrum, nec edax abolere uetus; ex quibus sane Theologi Scholastici aduersus hæreticos, unanimes conspiratores, longa tot seculorum serie extiterunt. Neque præter eundum erat, multo plures hæreticos ex grammaticorum pedagogiis, ex rhetorum foro, &

poetarum theatris, quām ex ipso Philosophorū conuentu egredi solere. Nostra hæc infœlia tempora, quod dico, satis ostendunt; quando ex ipsis Prisciani, & Demosthenis Scholis, tot ecclæasticæ pacis perturbatores, tanquam dato signo aduersus ecclesiam irrupisse cernuntur. Et ueteres maiores nostri hæreticos fere omnes illorum temporum, mirum in modum dicēdi copia & arte præstisſe testātur; sic Cornelius Novatū, Augustinus Cresconī, Donatum, Parmenianum, Faustum, Cyrillus Iulianum, Vincensius Lyrenensis Photinum Apollinarem, & nō nullos alios, Nicolaus Cusanus Meemetū, disertissimos, eloquentissimosq; fuisse scribūt. Quare manifesta calumnia est, quæ ecclesiæ dissidia, & cōtrouersias Theologiae Scholasticae adscribit; cum illa cuncta sui opes, & uires eo profundat atq; intendat, ut non tantum hæreticorum spinas & tribulos ueritatis falce succidat (quod uetus quoque Theologia exhibuit Cuerū etiā, ueluti apposita manu, euellat, ne subinde repulsi lulaſcere ullo unquam tempore possint.

Iam uero, amici, finem huic argumento, pro trita illa Phauorini sententia, iponere libet; præstat a uobis grauiter & supra modum infectari,

Aa ii

quam frigide, & exigue laudari: sic enim nemo
non hostes nostros palam uos esse dignoscit.

Quare demum ad uos me uerto, præclara in
genia, quibus in tam copioso argumento, laco-
nica hac, & planè cōcisa oratione, aliqua ex par-
te consulere studui; nouis hisce Mommis, & a-
tris delatoribus nostris aures occludite, sacrāqz
Theologiam nostram, cum primis præstantissi-
mam, siue natalium splendorem, siue subiecti
amplitudinem, siue certitudinis firmitatem; si-
ue methodi pulchritudinem, siue dictionis sim-
plicitatem, siue rerum copiam & maiestatem, si-
ue demum finis eccelleniam spectare libeat, su-
spicite, complectimini, fouete. In qua quisquis
uestrum ulterius uel antidotum aliquod aduer-
sus mundi illecebras, & antiqui serpentis uirus,
uel residem, & elangescensem animum excita-
re, & roborare, uel uitam suam componere, pro-
beqz instituere uelit, cumulatissime reperiet.
Nulli (inquit ille) satis eruditii uidentur, quibus
nostra ignota sunt. Turpe sanè est ingenuo ui-
ro, qui in baptismate Christo Domino nomen
dedit, non de Deo, de Trinitate, de Christo, de
Sacramentis, de Vniuerso, de Angelis, de Ho-
mine, deqz aliis tam sublimibus, tamqz præclaris
rebus recte prudenterqz cum sentire, tum disse-

rere, intra Ecclesiam posse : Intra Ecclesiam, in
quam, catholicam, & orthodoxam, extra quam
quisquis de his recte, aut sentire, aut etiā loqui
posse se putat, aut etiam salutem se consecutu-
rum sperat, is planè cribro aquā haurire parat,
& isthmum rursum fodere tentat ; Hæc illa no-
ster Oedipus erit, & Sansonis uitula, in qua quis
quis arare negligit, Theologica problemata
prorsus dissoluere nequit. Nō uos, iuuenes præ-
stantissimi, inanes uoces decipient, non uos bre-
ui peritura uoluptas deuiet, non uos tantilli stu-
dii labor absterreat. Comitem me uobis huius
itineris exhibeo; Ducem uero Aquinatem Tho-
mam, nō minus inter sanctos doctissimū, quām
inter doctos sanctissimum: Quem multis para-
sangis præcurere, & anteire signiferos, & ante-
signanos omnes, quos in hoc scribendi genere
suspicimus ; eruditorum omnium cōsensus est,
& illius monumenta probant. Sine cuius auspi-
ciis, quisquis tantum iter ingreditur, nihil aliud
quām sine pennis uolare studet. Huius quan-
quam scripta omnia, tam uenuste, tam accuras-
te, tamque subtiliter digesta, & exposita sint; quā
tamen de Angelis in priori parte summa com-
mentationem egit, eiusmodi mea sententia est,
ut cum in reliquis omnes uicerit, in ea seipsum

quoque uicisse uideri poscit, siue multitudinem
quæsitorum & rerum pulcherrimarum copiam,
siue doctrinæ subtilitatem & dispositionis ordi-
nem, siue de munere rerum perspicuitatem & ro-
bur spectare uelimus.

Hanc pro demandati mihi muneris functio-
ne, hoc anno fœlicibus auspiciis interpretandā
suscepi; quam ut recte a se qui mecum possitis,
nec uos studio, & exercitationi, nec ego diligen-
tia, & labore parcere debemus, non inanis quia
dem gloriolæ captandæ gratia, aut molestæ cu-
riositatis ergo; sed primæ tantum ueritatis pul-
chritudine allecti; quæ postquam nobis hic, ue-
luti in ænigmate, D. Thomæ industria lese pro-
derit, in patria demum cum sanctis illis spiriti-
bus, reuelata facie, beatos, & plane felices per
seipsum perenniter reddet.

E I N I S.

UVA. BHSC. SC 09778_6

Et ad hanc responsum dicitur: Absentia
mea, fuis debitis ceruita, per omnia tempore & re-
bus, sed etiam in aliis, quae non sunt
de mea causa, sed de causa aliorum, ut
deinde, ex parte aliorum, cum transi-
erit a loco, et abandoneat, et misere-
rebitur, et pietate proposita, non defraude-
atur, et non queat per suam absentiam, ac-
cusa exponere. D. Thome industriae pro-
fessione, et pietatis eternam, caritatis illius spiritu
et regule, et misericordie, et pietatis, et pio-
ritudinis, et humilitatis, et